
HIPPOCRATIS APHORISMI


NICOLAO LEONICENO VINCENTINO Interprete.

VNA CVM ANNOTATIONIBVS quibusdam, & circa textum præcipue

IOANNIS MANELPHI Eretani Sabini

Medici, & Philosophi Romani.





ROMAE,
Sumptibus Ioannis Manelphi.

Apud Hæredem Bartholomæi Zannetti.
M. DC. XXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo P. Mag. Sac. Palatij Apost.

A. Episc. Hierac. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Dominicus Paulacius Magister, & Socius Reuerendiss. P. F. Nicolai Rodulfii Ord. Præd. Sac. Apost. Pal. Magistri.

CELEBERRIMO VIRO,
& Reuerendissimo D.

D. IVLIO MANCINO

S. D. N.

VRBANI PP. VIII.

Medico intimo

IOANNES MANELPHVS

Eretanus Sabinus

Medicus, & Philosophus Romanus

D.

HIPPOCRATIS APHORISMI

Nicolao Leoniceno Vincentino Interprete.



LIBER PRIMVS.

Aphorism. I.



ITA breuis, ars verò longa, occasio autem præceps, experimentum periculosum, iudicium difficile. Nec solùm seipsum præstare oportet opportuna facientem, sed & ægrũ, & assidentes, & exteriora.

Videretur mihi hanc primam sententiam aphorismorum proœmium totius Operis aphoristicæ appellandam esse. Siquidem Auctores apud om-

nes quicumque aphorismi ad duo capita potissimum reducuntur. Vel, inquam, significatiui sunt omnes aphorismi, vel curatiui. Significatiui docent signa morborum: cuiusmodi exempli gratia, aphorismus ille legitur 6. libri: In pleuritide superueniente alui profluuio malum est. vel similis alius, huic proemio subsequens. In perturbationibus ventris & vomitibus spontinis si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt. Curatiui autem aphorismi illi dicuntur, qui modum curandi exhibent: vt puta inter cæteros, Concocta medicare, atque mouere legitur 2. aph. Sed sic est, vt ad nostram redeamus, supradictam primam sententiam, neque modum curandi tradere, neque signa morborum. Ergò aphorismus appellanda non est: sed potius Proemium, vel Præfatio.

IN

II.

IN perturbationibus ventris, & vomitibus spontinis, si talia purgentur, qualia purgari oportet: confert, & leuiter ferunt: sin minus, contrà. Sic & vasorum inanitio si talis fiat, qualis fieri debet: confert, & bene tolerant: sin minus, contrà. Inspicere itaque oportet & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos in quibus conueniat, aut non.

Vide Hipp lib. de veratri vsu 4 aphorif. 3. 1. aph. vltim. 6. epid. sect. 4. tex. 12.

Verba, sic & vasorum inanitio græcè κενεαγγειη leguntur: quæ dictio inediam significat ex Gal. in lib. de articulis comm. 3. tex. 56. com. 2. 1. de rat. victus in morb. acut. tex. 28. 48. 49. 50. Aphorismus igitur iste non purgatiuus, vt opinatur, verum diæteticus est.

III.

HAbitus exercitatorum qui ad summum bonitatis attingunt: periculosi, si in extremo constiterint: neque enim possunt in eodem

Vide S. Basilij serm. 2 de ieiunio.

permanere, neque quiescere. Cùm verò non quiescant: neque possunt proficere in melius Reliquum est igitur vt decidant in deterius. His de causis, bonum habitum statim soluere expedit; vt corpus rursus nutriri incipiat. Neque compressiones, ad extremum ducendæ: (periculosum enim) sed qualis natura fuerit eius qui debet perferre, ad hoc ducere conuenit. Sic & euacuationes quæ ad extremum deducunt: periculosæ. Et rursus defectiones, cùm extremæ fuerint, periculosæ.

Hic aphoris. pertinet etiam ad diætam, quamuis exemplo vtatur aliarum euacuationum.

Dictio vltima defectiones, an melius, refectiones legeretur?

I V.

VIctus tenuis atque exquisitus, in morbis quidem longis semper, in acutis verò, in quibus non conuenit, periculosus. Et rursus qui

qui ad extremum deuenit tenuitatis, grauis eſt. Nam & repletiones quæ ad extremum deueniunt, graues ſunt.

V.

IN tenui victu ægri delinquunt: quo fit vt magis lædantur. Quicumque enim error committitur magnus, maior in hoc fit, quam in paulo pleniori victu. Propterea etiam ſanis periculoſus exiſtit valde exquiſitus victus & cõſtitutus, quoniam errores grauius ferunt. Ob hoc igitur tenuis victus atque admodum exquiſitus, eo qui fit paulo plenior, magis periculoſus.

V I.

EXtremis morbis, extrema exquiſitè remedia optima ſunt.

V I I.

VBi morbus peracutus eſt, ſtatim extremos habet labores: & extremè tenuiſſimo victu vtendum eſt. Vbi verò non, ſed pleniorem

niorem victũ contingit adhibere: tantum cibi indulgendum est, quantò morbus extremis est mollior.

In hoc aphor. fuit dictio igitur ab interprete relicta: nempè ita legendum est. Vbi igitur morbus peracutus est; & quæ sequuntur. Et sic ab eadem quoque dictione concludi valeat hanc sententiam esse partem superioris.

VIII.

QVando morbus in suo vigore constiterit, tunc victu tenuissimo vtendum est.

In hoc etiam altero aphor. relinquitur dictio autem. Quando autem morbus in suo vigore constiterit, legendum est. Vnde præsens oratio vna sit cum duabus præcedentibus asserendum est.

IX.

Idem 2. acut. COniectari autem oportet, an æger cum victu sufficiat perdurare, donec morbus consistat: & nũquid prius ille deficiat, nec possit

ſit cum victu perdurare : vel morbus antea deficiat, atque hebeteſcat.

X.

QVibus igitur ſtatim morbus conſiſtit, ijs ſtatim tenuis victus adhibendus eſt : quibus verò poſterius debet conſiſtere, ijs & in ipſo conſiſtendi tempore, & parum ante illud, cibus ſubtrahendus : prius verò vberius agendum, vt æger ſufficiat.

X I.

IN acceſſionibus abſtinere oportet : nam cibum dare, nocuum eſt: & quibus per circuitum fiunt acceſsiones, in ipſa acceſsione abſtinere oportet.

Ianus Cornarius non legit in acceſsionibus, at in exacerbationibus. Conciliator verò diff. 134. in paroxiſmis.

X I I.

ACceſsiones verò, & conſtitutiones, morbi indicabunt, & anni Idem in Coacis.

anni tēpora, & circuituum successiua incrementa, siue quotidie, siue alternis diebus, siue per maiora interualla fiant. Sed ex ijs quæ mox apparent, indicia sumuntur: quemadmodum in morbo laterali si circa initia statim sputum appareat, morbum breuiat: si verò postea appareat, producit. Et vrinæ, & alui excrementa, & sudores, quæcũque apparuerint, vel bonam morborum iudicationem vel malam, vel breues aut longos fore morbos ostendunt.

Dictionem primam accessiones; tertiam hic exacerbationes legit Cornarius.

Altera dictio constitutiones, gracè καταστάσιας dicitur, quæ propriè dispositiones melius legitur, ex Hipp. 3. morb. dum agit de peripneumonia, vbi καταστάσιας pro eodem accepit atque διάταξις.

XIII.

SEnes facillimè ieiunium ferunt, secundo loco qui ætatem consistentem habent, minus adolescentes, omnium minimè pueri præsertim qui inter ipsos sunt viuidiores. Celſ. lib. 1. cap. 3.

Omnium minimè pueri : hic est peculiaris dicendi modus apud Ionicos : addunt, videlicet, superlatiuo interdum aduerbia. Cuiusmodi aliàs apud eundem Hipp 4. aph. 21. μᾶλλον κακίων, idest, magis pessimum latinè legitur.

XIV.

QVi crescunt, plurimum habent calidi innati : plurimo igitur egent alimento: alioqui corpus absumitur. Senibus verò parum calidi innati inest : paucis propterea fomitibus egent, quia à multis extinguuntur. Hanc etiam ob caussam febres senibus non similiter acutæ fiunt. frigidum enim eorum est corpus.

Ven-

XV.

Idem 4. de morb. & lib de salubri dieta, in princ.

VEntres hyeme & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi: quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus, plurimus est: vnde & pluribus egent alimentis. indicio sunt ætates, & athletæ.

XVI.

VIctus humidus febricitantibus omnibus confert, maximè verò pueris, & alijs qui tali victu vti consueuerunt.

Ad verbum verba græca reddendo, sic legendus est hic aphor. Humidæ omnes diætæ febricitantibus conueniunt. dictio autem diæta includit sub se plura: non solum videlicet alimentum, potumque; sed cunctas alias res non naturales cum Gal. lib. de humor. comm. 2. tex. 2. 3. in 3. epid. tex. 9.

Libro de salubri dieta tex. 7. contrarium quod in hoc aphor. legitur.

Sed

Sed ibi de diæta sanorum: hic autem de diæta febricitantium: ideo absurdi nihil.

XVII.

ET quibus semel, aut bis, & quibus pluráne, aut pauciora, & particulatim oporteat offerre, considerandum. Condonandum autem aliquid tempori, regioni, ætati, & consuetudini.

Iuxta græcam lectionem sic melius interpretatur aph. iste. Et quibus semel, aut bis, & quibus plura, vel pauciora, & particulatim. Condonandum autem aliquid tempori, regioni, ætati, & consuetudini. Vnde hic aph. vnus & idem cum superiori est, eademque oratio.

Verba illa, oporteat offerre considerandum, in textu meo græco non reperiuntur.

XVIII.

AEstate, & autumno cibos difficillimè ferunt, hyeme facillimè: secundum locum ver habet.

Hic

Hic aduerte Hipp. dicere cibos, nõ alimenta: siquidem alimentum nomen commune est sub se cibum, potum, sorbitionemq. continens. Cibus autem est species alimenti: alimentum nempè plenum, vt ex eodem Hipp. colligitur lib. de veteri medicina.

XIX.

Idem lib. de humoribus.

HIs qui per circuitus accessiones habent, nihil dare oportet, neque cogere, sed subtrahere adiectioni ante iudicationes.

XX.

Idem lib. de humoribus.

QVæ iudicantur, & iudicata, sunt integrè, neque mouere, neque nouare aliquid, siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere, oportet.

Dictio integrè aptius gracè est, quam hic nuper legendam potius me docebat Cagnatus Doctor meus. nuper inquam iudicata non sunt mouenda, ad hoc vt videas an benè iudicatus sit æger: alioquin si integrè lega-

legatur ſanè, quid Hipp. docuiſſe petet aliquis. nullus eſt adeò demens, qui mouere cupiat cum natura integrè iudicauerit, vel iudicare proſpexerit.

XXI.

QVæ ducere oportet, quò maximè natura vergit per loca conferentia, eò ducere. Idem in princ. lib. de humorib. Hipp.

XXII.

COncocta medicari, atque mouere non cruda neque in principiis modò non turgeant: plurimum verò non turgent. Idem lib. de humoribus.

Dictio concocta magis propriè, matura legitur, vt alibi docuimus.

XXIII.

DEiectiones non multitudine ſunt æſtimandæ, ſed ſi talia deijciantur, qualia conueniunt, & ægri facilè tolerant. Atque vbi vſque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, ſi æger poſſit tolerare. Idem lib. de humoribus.

XXIV.

Idem lib. de humoribus. & Auctor de dinamid. lib. 2.


IN acutis morbis raro,& in principijs, medicinis purgantibus vti, & hoc cùm præmeditatione faciendum.

XXV.

6. epid. sect. 4. te. 12.

SI qualia oportet purgari, purgentur: confert, & facilè ferunt: si contrà, difficulter.

Huius vltimæ sententiæ Hipp. ter meminit: nempè in 2. aphor. in 23. & vltimo præsentis primi libri. non tamen superfluus dicendus Hippocrates: siquidem in 2. exempli gratia hanc eandem prodidit sententiam. in 23. in ordine ad euacuationem quomodolibet factã. hic autem in ordine ad euacuationem ex arte solum.



LI-

LIBER SECVNDVS.

Aphorism. I.


N quo morbo somnus laborem facit, mortale. Si verò iuuat, non mortale.

II.

VBi somnus delirium sedat, bonum.

III.

SOmnus, atque vigilia, vtrumque si modum excesserit, malum. Idem lib. prænot. comm. 2. tex. 12.

IV.

NOn satietas, non fames, neque aliud quicquam quod modũ naturæ excesserit, bonum.

V.

SPontaneæ lassitudines morbos prænuntiant.

VI.

QVicunque dolentes parte aliqua corporis, omnino dolo-

rem non sentiunt, ijs mens ægrotat.

Dictio omnino gracè πολλὰ scribitur, qua haud omnino, sed plerumq. sæpe, vel ut plurimum, qua idem sunt, significat.

VII.

QVæ longo tempore extenuantur corpora, lentè reficere oportet: quæ verò breui, breuiter.

VIII.

SI à morbo cibum assumens quis non corroboratur, pluri alimento corpus vti significatur. quòd si non assumenti cibum hoc accidat, scire oportet quod indiget euacuatione.

Dictio cibum, melius alimentum legatur; quia τροφὴν gracè dicitur. alimentum verò sub se potum continet, sorbitionem, & cibum, ut superius.

Quod τροφὴν alimentum genericè significet, docuit inter alios Gal. 4. de vsu partium.

Cor-

I X.

COrpora cùm quiſpiam purgare voluerit, oportet fluida facere. Lib. 7. aph. 73. docet Hip pocr. quo modò cor pora fluida fiant.

X.

NOn pura corpora quãto plus nutries, tanto magis lædes.

X I.

FAcilius eſt impleri potu, quàm cibis.

Dictio impleri, melius de illa repletione intelligitur, quæ eſt contraria extenuationi. De qua Cornel. Celſus lib. 1. cap. 3. Tenuis homo, affirmabat implere ſe debet, plenus extenuare.

X I I.

QVæ relinquũtur in morbis poſt iudicationem, recidiuas facere conſueuerunt. Idem 2. epid. ſect. 3. 4. & 6. epid. cõment. 2. tex. 22.

X I I I.

QVibuſcunque criſis fit, ijs nox grauis ante acceſſionem: quæ verò ſubſequitur, magna ex parte leuior exiſtit. Idem 6. epid. de febre tertiana legitur cõment. 2. tex. 23.

Gal.6. epid. com.3. text.23. hunc aph. declarat pluribus modis.

XIV.

Idē 2.epi. sect.2.

IN profluuijs alui mutationes excrementorū iuuant, nisi ad mala mutatio fiat.

XV.

VBi fauces ægrotant, aut tubercula nascuntur in corpore, excretiones inspicere oportet. Nā si biliosæ fuerint, corpus vnà ægrotat. Si verò similes sanis, tutum est corpus nutrire.

Dictio nascuntur, in græco codice est numeri singularis, sed Attici interdum singulari, pro plurali vtuntur; vt alijs in locis eiusdem Hipp. habetur: atque præsertim in aph. 39. in calce commoritur græcè, commoriuntur latinè legitur. 2. aph. 23. iudicatur, iudicantur etiam nunc legitur.

XVI.

VBi fames, laborandum non est.

Vbi

XVII.

VBi cibus præter naturam plus ingeſtus eſt, hoc morbum facit: oſtendit autem ſanatio.

Hic cibus, alimentum legendum eſt, quia τροφὴ græca vox eſt.

XVIII.

EOrum quæ vniuerſim, & velociter nutriunt, veloces quoque fiunt excretiones.

XIX.

ACutorum morborum non omnino ſunt certæ prænuntiationes, aut ſalutis, aut mortis.

XX.

QVibus iuuenibus aluus humecta eſt, ijs ſeneſcentibus exiccatur. Quibus verò iuuenibus aluus ſicca eſt, ijs ſeneſcentibus humectatur. Idem Celſus lib. 1. cap. 3.

XXI.

FAmem vini potio ſoluit.

XXII.

QVicunque morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio: & Idem lib. de nat. hominis.

quicunque ex euacuatione, repletio, & aliorum contrarietas.

Nomine euacuationis inanitio per diatam hic intelligenda est: quia hac eadem contraria repletioni per alimenta, qua dictione πλησμονῆς significatur; vt etiam aph. 4. præsentis lib. etiam colligitur. amplius etiã de inanitione per diatam nomine euacuationis hic intelligendum est, quia κενώσιος nomine græco vtitur Hipp. quod vt plurimum idem significat, vt videre est in pluribus locis.

XXIII.

Idem in Coacis, & lib. de iudicat.

ACuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur.

In progn. lib. 1. tex. com. 25. dicit Hipp. acutos morbos cum febre esse, & 40. die iudicari. vide, & perpende cum alijs textum.

Τὰ ὀξέα τῶν νοσημάτων κρίνεται: *acuties videlicet morborũ quatuordecim diebus iudicatur. & in quocunque morbi tẽpore accidat eadem acuties, quatuordecim diebus indicatur, intel-*

intelligebat Hipp. quia aliàs qui acuti morbi appellãtur nõ modo quatuordecim, verum multo pluribus diebus iudicantur, & interdum vigesimum attingunt, trigesimum, quadragesimum, & amplius, vt vnusquisque experimento compertũ habere potuit exercitatus Medicus.

XXIV.

SEptenorũ quartus est index. Alterius septimanæ octauus principium. Est autẽ & vndecimus considerandus. Ipse enim quartus est secundæ septimanæ. Rursus verò & decimusseptimus considerandus: ipse siquidẽ quartus est à quartodecimo, septimus verò ab vndecimo.

XXV.

AEstiuæ quartanæ magna ex parte breues, autumnales longæ, & maximè quæ hyemem attingunt. Idẽ Cels. lib. 2. c. 1.

XXVI.

FEbrem conuulsioni superuenire melius est, quàm febri conuulsionem. Idem in Coacis.

In

In lib. de locis in homine, & lib. de iudicat. contrarium legitur; sed alibi declaratur.

XXVII.

Idem 1. epid. sect. 2. constit. 3. tex. 21. 2. epid. sect. 3.

HIs qui ob iustam causam non leuius se habent, non oportet fidere, neque multum formidare mala quæ præter ratione eueniunt. Talium enim multa stabilia non sunt, neque multum durare & permanere consueuere.

His qui non ob iustam causam leuius, &c. lege.

Cels. lib. 2. cap. 5.

XXVIII.

FEbricitantium non omnino leuiter permanere corpus, & nihil minui, vel etiam plusquam ratio postulat contabescere, malum. Illud enim morbi longitudinem, hoc verò imbecillitatem significat.

XXIX.

CVm morbi inchoant, si quid mouendum videtur, moue: cum verò consistunt ac vigent, melius est quietem habere.

Α'ργο-

Α'ρχομένων τὸν νȣσῶν, incipientibus morbis, hæc verba benè interpretantur quia græci interdum loco ablatiui absoluti vtuntur genitiuo.

XXX.

Circa initia & fines, omnia imbecilliora: circa ſtatum verò, fortiora.

XXXI.

Eius qui à morbo cupidè comedit, nihil proficere corpus, malum.

XXXII.

Omnes ferè qui malè ſe habent circa initia, cupidè comedentes, nec quicquam proficientes: ad poſtremum rurſus cibum non appetunt. qui verò circa initia cibũ valde faſtidiunt, poſtea bene appetentes: ij in melius vadunt.

XXXIII.

In quouis morbo mente conſtare, & bene ſe habere ad illa quæ offeruntur, bonum: contrà verò ſe habere, malum.

In

X X X I V.

IN morbis minus periclitantur quorum naturæ, aut ætati, aut consuetudini, aut anni tempori magis cõgruit morbus, quàm vbi nulli istorum congruit.

X X X V.

IN quouis morbo, partes ad vmbilicũ & imum ventrem attinentes, crassitudinem habere, melius est: multùm verò extenuari ac contabescere, prauum. Sed & hoc quoquê ad inferiores purgationes, periculosum.

X X X V I.

Idem lib. de verarri vsu, & Auctor de Dinamid. lib. 2.

QVi sanitate corporis fruuntur, medicamenta purgantia assumentes, statim debilitantur: & qui prauo vtuntur cibo.

Pro cibo lege, alimento, hic.

X X X V I I.

QVi corpore valent, difficulter ferunt medicationes.

XXXVIII.

PArum deterior potus & cibus, suauior autem, melioribus quidem, sed minus suauibus: est præferendus.

Vide Hip. 6. epid. comm. 4. tex. 8.

XXXIX.

SEnes iuuenibus plurimũ quidem ægrotant minus: diuturnis verò morbis correpti, ferè commoriuntur.

Vide Hip. 6 epid. comm. [illegible] te. [illegible] & [illegible] de morb. in princ.

Gal. 8. de placit. cap. 7. rationem exhibet, cur senes acutis morbis infestentur minus, quam aliæ ætates.

XL.

RAucedines & grauedines inualde senibus, coctionem non admittunt.

XLI.

QVi frequenter, ac fortiter, absque causa manifesta deficiunt animo, de repente moriuntur.

XLII.

SOluere apoplexiam fortem, impossibile; debilem verò, non facile.

Qui

XLIII.

QVi ſuffocantur & à vita deficiunt, nondum tamen mortui ſunt: non referuntur in vitam, quibus ſpuma circa os apparet.

Verba quæ hic latinè, à vita deficiunt, leguntur græcè ſunt καταλυομένων, hoc eſt ſoluuntur ego legerem: & de iis intelligitur, qui arte laquei ſoffocantur, vel alio ſimili mortis ſupplicio.

XLIV.

QVi natura admodũ craſsi ſunt, citius intereunt, quam qui graciles.

Sic melius legitur hic aph. pingues valdè ſecundum naturam breui morituri. non citò vt legitur. breui ſcilicet ſubitanea morte intelligendum etiam ego dicerem.

XLV.

QVicunque iuuenes morbo comitiali laborant, mutatione maximè ætatis, & tempo-

rum,

rum, & locorum, & victuum quoque, liberantur.

XLVI.

DVobus doloribus simul non eundem locum infestantibus, tibus, vehementior alterum obscurat.

XLVII.

DVm pus conficitur, dolores ac febres accidunt magis quàm quàm iam confecto.

XLVIII.

IN omni corporis motu, vbi laborare cœperit, quies statim lassitudinem aufert.

Statim dictio cadit suprà quiescere sententia mea. videlicet, In omni corporis motu, quando aliquis laborare incipit, statim quiescere lassitudinis remedium est.

XLIX.

COnsueti solitos labores ferre, etsi sint imbecilles aut senes: non consuetis, fortibus, atque iuuenibus, facilius ferunt. Cels. lib. 1. cap. 3.

Quæ

L.

Idẽ Hipp. 2 victus acut. 33.

OVæ ex longo tempore consueta sunt, etsi deteriora sint, insuetis minus molestare solẽt. Oportet igitur etiam ad insueta transire.

Oportet igitur etiam ad consueta transire, legendum est: tum quia ità sonant græca verba; tum etiam quia ex præmissis aliter inferre non valet.

L I.

Idẽ Hipp. 2. de rat. vict. in morb. acut. 34. lib. de rat. hom. Cels lib. 1 cap. 3.

PLurimum, atque repente euacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere, periculosum: omne enim nimium naturæ inimicum. Sed quod paulatim fit, tutum est, cum alias, tum cùm ab altero ad alterum transitus sit.

Dictio euacuare de illa euacuatione intelligitur, quæ repletioni per alimenta fit: de inanitione scilicet.

L I I.

OMnia secundum rationem facienti, si non succedat secundum rationem: non est transeundum

dum


dum ad aliud, ſuppetente quod ab initio probaueris.

LIII.

QVicunque aluos humidas habent, ſi quidem iuuenes ſint, in melius commutantur, ijs qui ſiccas habent. Qui verò in ſenectute, eò deterius commutantur: nam ſeneſcentibus magna ex parte exſiccantur.

LIV.

MAgnitudo corporis, iuuentæ quidem neque indecens, neque illiberalis: ſenectæ verò inutilis, & deterior paruitate. Celſ. lib. 2 cap. 1.



LIBER TERTIVS.

Aphorism. I.



VTATIONES temporum potissimum pariunt morbos: & in quibusdam temporibus magnæ mutationes, aut frigoris, aut caloris, & alia pro ratione, eodem modo.

Dictio potissimum idem hic significat, atque magis: Μάλιστα enim verbum est græcum. Vide quæ dicit Aristot. 1. probl. 3.

II.

Idē Hipp. lib. de humoribus.

NAturarũ, aliæ quidem ad æstatem, aliæ verò ad hyemem, bene, maléue se habent.

III.

Idē Hipp. lib. de humoribus.

MOrbi quoque alij ad alia tēpora bene, vel malè se habent, & quædam ætates ad tempora, & loca, & victus genera.

In

IV.

IN temporibus, quando eadẽ die modo calor, modo frigus fit, autũnales morbos expectare oportet. Idẽ Hipp. lib. de humorib. & Gal. 3. in 3. epid. tex. 72.

V.

AVstri auditum hebetant, caliginem visui offundunt, caput grauant, tarditatem ac languorem inducunt. Quando (igitur) inualuerint: talia in morbis accidunt. Contrà, si aquilonia sit tempestas, tusses vigent, faucium asperitates, alui duræ, horrores, costarum dolores & pectoris. Quando igitur hæc viget, talia in morbis expectare oportet. Idẽ Hipp. lib. de humorib. & Cels. lib. 2 cap. 1.

Cur Aquilonaribus, & Australibus loquatur solum Hipp. de constitutionibus collige ex lib. de morbo sacro.

VI.

QVando æstas fit veri similis, sudores in febribus multos expectare oportet. Idẽ Hipp. lib. de humoribus.

VII.

Idẽ Hipp. lib. de humor. & li. 2. c. 1.

IN ſiccitatibus febres acutæ fiũt. Quòd ſi amplius talis pergat eſſe annus, qualem fecerit conſtitutionem, tales plurimũ morbos oportet expectare.

Hic aphor. facit etiam ad probationem noni ſequentis.

VIII.

Idẽ Hipp. 2. epid. ſect. 1. & lib. de humor.

IN legitimis temporibus, ac conuenientem ſeruantibus temperaturam, morbi legitimi & boni iudicij fiunt: intempeſtiuis autem, non legitimi & mali iudicij.

Recta, & congrua huius aphoriſmi interpretatio hæc eſt, ſententia mea. In benè diſpoſitis temporibus, ſi tempeſtiuè tempeſtiua reddita ſint, morbi benè diſpoſiti, & facilis iudicationis fiunt: in malè autem diſpoſitis temporibus, non benè diſpoſiti, & mali iudicij fiunt morbi.

IX.

Idẽ Hipp. 2. epid. ſect. 1.

AVtumno morbi acutiſſimi, atque exitiales, maxima ex parte,

te. Ver verò saluberrimum, & minimè exitiale.

X.

AVtumnus tabidis malus.

Idē Hipp. 6. epid. sect. 7. & Cels. lib. 1. c 3.

XI.

DE temporibus: si quidē hyems sicca & aquilonia fuerit, ver verò pluuiosum & australe: necesse est æstate febres acutas fieri, & lippitudines & intestinorū difficultates, præcipuè verò mulieribus, & viris qui natura sunt humidiores.

Idē Hipp. lib. de aere, aquis, & loc. Cels. lib. 2. c. 1. & Aristot. 1. probl 8. rationem reddit.

XII.

SI verò hyems australis & pluuiosa & serena fuerit, ver autem siccum & aquilonium: mulieres quibus partus in ver incidit, ex quacunque occasione abortiunt: quæ verò pariunt, imbecilles & morbidos infantes pariunt: quare vel statim intereunt, vel tenues & valetudinarij viuunt. Cæteris verò mortalibus difficultates intestinorum, & lippitudines siccæ fiunt,

senioribus autem destillationes quę citò interiment.

Dictionem serena ἔνδιος græcè legit etiam Cels. li. 2. c. 1. quamquam Manardus lib. 1. epist. 2. eandem tollat: nimirium Arist. fortasse 1. probl. 9. hanc aphoristicam sententiam sine ἔνδιος legerit. Vnde postmodum Theodorus Gaza tepidam dixit.

XIII.

Idē Hipp. lib. de aere, aquis, & locis, atq. Cels. lib. 2. c. 1.

SI verò æstas sicca fuerit & aquilonia, autumnus verò pluuiosus & australis: dolores capitis vehementes ad hyemem fiunt, & tusses, raucedines, atque grauedines, quibusdam autem & tabes.

Huius aphorismi rationem reddit Arist. 1. probl. 10.

XIV.

SI verò aquilonius & siccus, ijs qui naturam habent humidiorē, & mulieribus conferet: reliquis autem erunt lippitudines siccæ, & febres acutæ, & grauedines longæ, nōnullis verò morbi melancholici.

Dictio

Dictio longæ, plurimis in codicibus græcis non reperitur.

Affert eiusdem aphorif. rationem Arist 1. probl. 11.

XV.

EX anni autem constitutionibus, (in vniuersum) siccitates imbribus sunt salubriores, & minus mortiferæ.

XVI.

MOrbi in pluuiarũ multitudine magna ex parte fiunt, febres longæ, alui profluuia, putredines, morbi comitiales, & apoplexiæ, & anginæ. In siccitatibus autẽ tabitudines, lippitudines, articulorum dolores, stillicidia vrinæ, & difficultates intestinorum.

XVII.

COtidianæ autẽ constitutiones, aquiloniæ quidẽ cogunt corpora, firmiora & agiliora, coloratiora, & melius audientia faciunt, & aluos exsiccant, oculos mordẽt: & si pectus dolor aliquis prius obsede-

ſederit, dolorem augent. Auſtrinæ diffundunt corpora, & humectant, auditum obtundunt, capita aggrauant, & vertigines faciunt, oculis atque corporibus difficilem motũ præſtant, & aluos humectant.

XVIII.

Idem Celſus lib. 2. c. 1.

QVantum ad tempora anni, vere quidem & prima æſtate pueri, & qui hos proxime ſequuntur ætate, optimè degunt, & ſani ſunt maxime: æſtate verò, & autumno aliquatenus, ſenes: per reliquum autem autumnum & hyemem, qui mediam ætatem habent.

XIX.

MOrbi, omnes quidem in omnibus temporibus fiunt, quidam verò magis in quibuſdam ipſorum & fiunt & exacerbantur.

XX.

Idem Celſus lib. 2. c. 1.

VEre etenim furores, & morbi melancholici & comitiales, & profluuia ſanguinis, & anginæ, & grauedines, & raucedines, & lepræ, & tuſ-

& tuſſes, & impetigines, & vitiligines, & puſtulæ vlceroſæ plurimæ, & tubercula, & articulorũ dolores.

XXI.

AEſtate autem nonnulli horum, & febres continuæ, & ardentes, & tertianæ febres, & quartanæ, & vomitus, & alui profluuia, & lippitudines oculorũ, & aurium dolores, & oris vlcerationes, genitalium putredines, & ſudores.

XXII.

AVtumno verò plurimi æſtiui morbi fiunt, & febres quartanæ, & erraticæ, & lienes, aquæ inter cutem, & tabes, & ſtillicidia vrinæ, & difficultates inteſtinorũ, & leuitates inteſtinorum, & coxendicũ dolores, & anginæ, & aſthmata, voluuli, morbi comitiales, furores, melancholiæ.

Dictionem tabes, lege phtiſes, quia tabes nomen eſt genericum quodſemaciationem ſignificat. Hæc autem triplex dicitur ex Celſo lib. 3. cap. 22. pthiſis,

pthisis, videlicet emaciatio cum vlcere in pulmone, cachexia, & atrophia: φθίσις etiam in græco codice legitur hic.

XXIII.

HYeme verò morbi laterales, & pulmonis inflammationes, grauedines, atque raucedines, tusses, dolores pectoris, laterũ, lumborũ, & capitis vertigines, & apoplexiæ.

XXIV.

Idẽ Celſ. lib. 2. c. 1.

IN ætatibus autem talia contingunt, paruis & nuper natis puerulis, oris vlcera (quæ aphthæ vocantur) vomitus, tusses, vigiliæ, pauores, vmbilici inflammationes, aurium humiditates.

XXV.

IN progressu verò cùm iam dentire incipiunt, gingiuarum prurigines, febres, conuulsiones, alui profluuia: & maximè cùm caninos ædunt dentes: & ijs præsertim pueris qui crassissimi sunt, & aluos duras habent.

Cum

XXVI.

CVm verò iam magis adoleuerint, tonſillæ,& vertebræ, quæ eſt in occipitio, ad interiora luxationes, crebri anhelitus,quos Græci aſthmata vocant, calculi, lumbrici rotundi, aſcarides, verrucæ, quas Græci acrochordonas vocãt, ſatyriæ, ſtranguriæ, ſtrumæ,& alia tubercula, ſed præcipuè antedicta.

XXVII.

GRandioribus autem,& iam accedentibus ad pubertatẽ, plurima ex his,& febres diuturnæ magis, & ex naribus profluuia ſanguinis.

XXVIII.

PLurimi autem morbi puerulis iudicantur,nonnulli quidem in quadraginta diebus, nonnulli in ſeptem menſibus, nonnulli verò in annis ſeptem, quidam verò iàm ad pubẽ accedentibus. Qui verò permanſerint, nec in pubertate finierint, puerúlis, aut fœminis cùm

men-

menſtrua erumpunt, conſeneſcere conſueuerunt.

XXIX.

Idē Celſ. lib. 2. c. 1.

IVuenibus autem ſanguinis ſpuitiones, tabes, febres acutæ, morbus comitialis, & alij, ſed præcipuè antedicti.

XXX.

lib. 2. c. 1. Idē Celſ.

VLtra hanc ætatem progreſſis aſthmā, id eſt creber anhelitus, morbi laterales, pulmonis inflammationes, lethargi, phrenitides, ardentes febres, diuturna profluuia, choleræ, difficultates & leuitates inteſtinorū, hæmorrhoides.

XXXI.

SEnibus ſpirandi difficultates, deſtillationes cùm tuſsi, vrinæ ſtillicidia, vrinæ difficultates, articulorum dolores, & renum, vertigines, apoplexiæ, habitus corporis deprauatio, pruritus totius corporis, vigiliæ: alui, oculorum & narium humiditates, viſus obtuſus, glaucedines, auditus graues.

LI-

LIBER QVARTVS.

Aphorism. I.



TERO gerentes sūt medicandæ si materia turget, quarto mense, & vsque ad septimum: sed hæ minus. à iuniore autem fœtu & seniore abstinere oportet.

Dictionem græcam φαρμακεύειν declarauimus in responsione ad Martianum quid significet; purgari scilicet: veluti Gal. docuit in comm. & 1. aphor. 22. Gal. idem 3. epid. com. 2. tex. 8. iuniorem fœtum primi, vel secundi, ad summum tertij mensis esse dixit.

I I.

IN medicationibus talia educere è corpore, qualia sponte prodeunt, vtile: quæ verò contrario modo prodeunt, cohibere oportet.

Si

III.

Idē Hipp. 1. aph. 2. SI qualia oportet purgari, purgentur, confert, & leuiter ferunt: contraria verò, grauiter.

IV.

MEdicari æstate superiores magis, hyeme verò inferiores.

Huic aphor. contraria leguntur lib. de salubri diæta, sed vt alibi dicebamus, ibi de sanis, hic verò in aphor. de infirmis est sermo.

V.

SVb Cane, & ante Canem, difficiles sunt medicationes.

VI.

GRaciles, & facilè vomentes, purgare superius, cauentes hyemem.

VII.

VOmentes verò difficulter, & mediocriter carnosos, per inferiora, cauentes æstatem.

VIII.

TAbidos verò, per inferiora cauentes superiora.

Tabidos verò cauentes superiora; hic legitur verè aphor. in græco codice. verba per inferiora non adsunt.

I X.

MElãcholicos verò plenius per inferiora: eadem ratione, contraria apponentes.

X.

MEdicari in valde acutis, si materia turget, eadem die: tardare enim in talibus malum est.

Dictio si materia in græco codice non reperitur, vt alibi aduersus Martianum dicebamus.

X I.

QVibus adsunt tormina, & circa vmbilicum labores, & lumborum dolor, qui neque à medicamento, neque aliter soluitur: hydrops siccus contrahitur. Idem in Coacis.

Dictio tormina græcè legitur στρόφοι, quæ propriè significat reuolutiones, non tormina. Cum tormina latinè loquendo dyssenterias significet; vt apud Celsum videre est lib. 4. c. 15.

c. 15. necnon etiam Paulus ita fuit interpretatus lib.3. c. 42. In altero aphor. Hipp. inferius στρόφοι etiam legitur, & reuolutionem significat.

X I I.

QVorum alui intestinorum leuitate laborant: hyberno tempore per superiora purgari, malum.

X I I I.

Idē Hipp lib. de veratri vsu.

QVi non facilè per superiora purgantur, ad veratrum admittēdi sunt, pleniore cibo & quiete corporibus ante potionem humectatis.

Hic nomine τροφῆ non omnes res naturales, sed cibum, sorbitionem, & potum solummodò intellexit Hipp. quia & quietis subsequēter meminit.

X I V.

Idē Hipp. lib. de veratri vsu.

CVm biberit quis elleborum, ad motiones quidem corporum ducere magis: ad somnos verò atque quietem, minus. Indicat autem nauigatio, turbari motione corpus.

Cum

X V.

CVm voles elleborum magis du cere, moue corpus: cũ verò sistere, somnũ inducito nec moueto.

Idem lib. de veratri vsu, vbi etiam aphor. 16 17. 18. & 19. repetuntur.

X V I.

CArnes sanas habentibus elleborus periculosus. facit enim conuulsionem.

X V I I.

EVm qui non febricitat, cibi fastidium, morsus oris ventriculi, vertigo & oris amaritudo, purgatione indigere per superiora significant.

X V I I I.

DOlores qui sunt supra præcordia, quicunque egent purgatione, medicari oportere per superiora significant. Quicunque autem infra subsistunt, per inferiora.

Dictio medicari, melius purgari legeretur: siquidem φαρμακεύειν id etiam sonat, vt alias in responsione ad Martianum super eodem verbo dicebamus.

XIX.

QVi in medicamentis purgati non sitiunt: non cessant priusquam sitiant.

Vide hic Alex. Petronium in proprio commentario: qui summatim ex hoc aphor. colligi inquit, quod in purgationibus quandocunque sitis nō accedat, semper sequetur purgatio signum est: non tamen è contrà accedente siti, necessario purgatio non sequatur amplius: quia etiam cum siti possunt amplius purgari ægrotātes.

XX.

NOn febricitantibus si tormina acciderint, & genuum grauitas, & lumborum dolor: purgari per inferiora oportere significatur.

XXI.

Idem in Coacis.

DEiectiones nigræ, sāguini atro similes, & sponte procedentes, siue cum febre, siue sine febre, pessimæ: & quanto colores praui fuerint plures, deterius: à medicamento verò procedētes, meliores sunt: idque

idque quantò plures fuerint colores non praui.

XXII.

MOrbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis vel supernè vel infernè exierit: lethale.

Idem in Coacis de de febre affirmat Hipp.

Quarto epid. Hipp. Eumenis uxorem refert bilem atram autumno euomentem.

XXIII.

QVibuscunque per morbos acutos vel diuturnos, aut vulnera, aut quemuis alium modum extenuatis, nigra bilis, aut veluti sanguis niger per inferiora subsederit: postridie moriuntur.

XXIV.

DIfficultas intestinorum, si ab atra bile inceperit, lethalis est.

Gal. lib. 5. de vsu part. c. 10 causã reddit presẽtis aph.

Hunc aphor. Gal. lib. 5. de vsu partium, cap. 10. rectè etiam declarauit.

XXV.

Idem in Coacis.

SAnguinem quidem ſupra ferri, qualiſcunque ſit, malum. infra autem,bonum: cùm niger deijcitur.

Hæc verba cum niger dijcitur non ſunt in textu antiquiori. quidam autem textus græci ex recentioribus ſic legunt, καὶ τὰ μέλανα ὑποχωρέοντα, κακόν. hoc eſt, & nigra excrementa, malum.

XXVI.

DIfficultatem inteſtorum habenti, ſi veluti carunculæ deijciantur, lethale eſt.

XXVII.

QVibus febricitantibus ſanguinis fluxerit multitudo quacũque ex parte: cùm reficiuntur, alui ijs humectantur.

XXVIII.

QVibus biliosæ ſunt deiectiones, hæ ſuperueniente ſurditate ceſſant: & quibus ſurditas adeſt,ſuperuenientibus bilioſis deiectionibus, ceſſat.

Qui-

XXIX.

QVibus febricitãtibus sexto die rigores fiunt, difficile iudicium sequitur. Idem in Coac. circa initia.

Cum horrore in 6. die fuit iudicata virgo in Laryssa 3. epid. sect. 3. num. 12.

XXX.

QVibuscũque accessiones fiunt: quacunque hora febris dimiserit, si eadem cras occupauerit, iudicium habent difficile.

Declaratur hic aph. in lib. nostro progn.

XXXI.

FEbricitantibus lassitudinem habentibus: in articulos, & circa maxillas potissimum abscessus fiunt. Idem lib. de humoribus.

XXXII.

QVibus autem eualescẽtibus ex morbo pars aliqua dolet: ibi fiunt abscessus. Idem lib. de humoribus.

XXXIII.

SEd si ante morbum aliqua pars doluerit, ibi morbus statuitur. Idem lib. de humoribus.

XXXIV.

SI febrem habenti suffocatio repente superuenerit, nullo tumore in faucibus existente: est lethale.

XXXV.

SI febrem habenti repente collum peruertatur ac vix possit deuorare, non existente tumore: lethale est.

XXXVI.

Idē Hipp. lib. de iudicat initio. 1. præ not. com. 1. tex. 26.

SVdores febricitāti si inceperint, boni, tertio die, & quinto, & septimo, & nono, & vndecimo, & quartodecimo, & septimo decimo, & vigesimoprimo, & vigesimoseptimo, & trigesimoprimo, & trigesimoquarto. Hi enim sudores iudicant morbos. Qui vero non ita fiunt, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidiuam.

Sudor iudicatorius in 6. fuit ægroto 12. 3. epid. sect. 3.

Sudor iudicatorius in 4. fuit ægr. 6. 3. epid. sect. 3. & ægroto 11. 7. epid.

Præsen-

Præsentis aphorismi ratio legitur in 4. de morb. Hipp.

XXXVII.

FRigidi sudores, cum acuta quidem febre, mortem: cum mitiori autem, longitudinem morbi significant.

Idē lib. 2. de morb. in Coac. & 1. prænot. com. 1. tex 26.

Celsus lib. 2. cap. 5. ait frigidum sudorem morbum indicare longum, cum circa caput solummodò, & ceruicem oritur in febribus non acutis.

XXXVIII.

ET qua parte corporis sudor est, ibi significat morbum esse.

XXXIX.

ET qua parte corporis calor aut frigus, ibi morbus est.

XL.

ET vbi in toto corpore mutationes fiunt; si corpus refrigeretur, vel rursus calefiat, vel color alius ex alio oriatur: longitudinem morbi significat.

Idē Cels. lib. 2 c. 5.

XLI.

SVdor multus ex ſomno factus abſque cauſa manifeſta, corpus vti pluri cibo ſignificat. ſi verò cibum non accipienti hoc accidat, ſcire oportet quod euacuatione indiget.

Τροφῇ alimentum legendum eſt, vt alibi.

XLII.

SVdor multus calidus vel frigidus ſemper fluens: frigidus magis, calidus minus ſignificat morbū.

XLIII.

Idē Hipp. in Coac.

FEbres quæcunque nō intermittētes tertia die fortiores fiunt, magis periculoſæ. Quocunque autem modo intermiſerint, periculum abeſſe ſignificant.

Super hoc aph. vide Alexandrum Petronium.

XLIV.

Idem in Coacis.

QVos febres longæ exercent, ijs tubercula vel labores in articulis fiunt.

Quibus

XLV.

QVibus tubercula, vel in articulis labores ex febribus accidunt, ij pleniore vtuntur cibo.

XLVI.

SI rigor incidat febre non intermittente, ægro iam debili: lethale eſt. Idem in Coacis.

Ergo de febre continua aphoriſmi eſt ſermo. ſi videlicet in febre continua rigor fiat, febre non intermittente ægro iam debili, lethale eſt.

XLVII.

EXcretiones in febribus non intermittentibus, liuidæ, cruentæ, fœtidæ & bilioſæ, omnes malæ. Sed ſi proſperè excernuntur, ſiue per alui excretionem, ſiue per vrinas: bonæ. Si verò aliquid eorum quæ non confert excerni, per hæc loca excernitur: malum. Idem in Coacis.

XLVIII.

IN febribus non intermittentibus, ſi partes exteriores ſint frigidæ, interiores verò vruntur, & Idem in Caoc. & 1. epid. ſect. 3. te. 21.

ſitim

ſitim habeant: lethale eſt.

Phylini uxor cũ extremorum frigiditate perſeuerante obijt 20. die: At Herophon 17. euaſit, quamquam 7. die frigidus fuiſſet. quoniam fortaſsè frigiditas non fuit perſeuerans. de qua hic loquitur Hipp.

XLIX.

Idem in Coac. circa initia. 1 progn. text 12. 6. epid.

IN febre non intermittente, ſi labrum, palpebra, vel ſupercilium, vel oculus, vel naſus peruertatur, vel non videat, vel non audiat: iam debili exiſtente corpore: quicquid horum euenerit, mors proxima eſt.

Dexter oculus undecima die diſtortus fuit ægrotæ 11. 3. epid. ſect. 2. ſeptima die phrenitide interijt: Vide Gal. in comm.

L.

VBi in febre non intermittente difficultas ſpirandi, & delirium acciderit, lethale.

LI.

IN febribus, abſceſſus qui ad primas iudicationes non ſoluunt, longi-

longitudinem morbi significant.

L I I.

IIs qui in febribus, vel in alijs morbis sponte illacrymant, nihil horribile accidit: qui verò non sponte horribilius. Idẽ Hipp. 4 & 6. epid. & 1. progn.

L I I I.

QVibus circa dentes in febribus quidam lentores nascuntur, ijs fortes fiunt febres.

L I V.

QVibus plurimùm siccæ tusses leuiter irritantes in febribus ardentibus fiunt: non multum siti infestantur.

L V.

EX inguinum, tumoribus, febres omnes malæ, præter diarias. Idẽ Hipp. 2. epid. sect. 3.

L V I.

FEbricitanti sudor superueniens febre non deficiente, malum. Prorogatur enim morbus, & multam significat humiditatem. Cels. lib. 2. cap. 5.

L V I I.

Idē 1. de morb. & lib iudicat. Hipp.

QVi à conuulſione aut diſtentione neruorum tenetur, febre ſuperueniente liberatur.

Diſtentio melius rigor etiam latinè legitur cum Celſo lib. 2. c. 1. quia τετάνυ græca vox eſt.

Duo autem hæc nomina σπασμὸς, τέτανος, differunt quidem maximè apud Hippocratem, namque σπασμὸς latinè conuulſio dicitur: motus quippè neruorum deprauatus. τέτανος autem non modo deprauatus eſt motus: ſed eſt immobilitas quædam, quam Celſus loco dicto rigorem dixit, hoc eſt inflexibilitatem, vel ſtabilitatem corporis, vel partium ipſius. Quæ quidem inflexibilitas, & rei ſtabilitas tripliciter eſſe poteſt, vel in anteriora, vergens, vel in poſteriora, aut ſecundum rectitudinem. prima emproſtotonos appellatur græcè, ſecunda opiſtotonos: tertia verò tetanos antonomaſticè dicitur.

Quod inquam tetanos, & ſpaſmos

ſiue

ſiue conuulſio, & rigor latinè inter ſe differant, præter ſupradicta colligitur ex Hippocr. in pluribus locis. Atque primo hic ſpaſmum, aut tetanum diſiunctiuè dicit, tamquam de rebus inter ſe maximè differentibus. 5. aphor. 17. frigidum legitur facit conuulſiones, tetanos. quo eodem loquendi modo vtitur idē Hipp. in aphor. 20. & 75. eiuſdem 5. lib. Tetanus igitur res differens à conuulſione eſt.

Neque obſtat quod Gal. Tetanum conuulſionem appellauerit, & motum eſſe amplius deprauatum, motumque eundem tonicum vocabulo dixerit. quia eſtò quod tetanus conuulſio ſit cum incipit: cum autem factus fuerit, nulla conuulſio appellari poteſt: quia nullus amplius accidit motus, ſed immobiles partes ſunt, cum tetanus perfectè eaſdem obſederit.

LVIII.

FEbre ardente laboranti: rigore superueniente, solutio fit.

LIX.

Idē Hipp. lib. de iudicat.

TErtiana exquisita septem circuitibus, cum longissima est, iudicatur.

In Coacis addit Hippoc. Ad summum nouem.

LX.

QVibus in febribus aures obsurduerunt: sanguis ex naribus fluens, aut aluus turbata, soluit morbum.

LXI.

Idem in Coacis, 2. epid. sect. 5. & Heraclides Pōticus super Homer. 1. Iliad.

QVi morbi diebus paribus iudicantur: male iudicantur, ac lubenter repetunt.

Gal. in comm. cui accessit Oribasius, non legit diebus imparibus, sed diebus decretorijs: quia sunt aliqui dies pares etiam decretorij. sed fortassè, dicet aliquis, hoc particulare est febrium priuilegium, siue proprietas.

Febri-

FEbricitans, nisi diebus imparibus febris reliquerit: solet recidiuare. Idē Hipp. 4. de mor.

Verificatur hæc sententia in hist. Hermocratis 3. epid. sect. 1. ægroto. 2.

L X I I.

QVibus in febribus morbus regius ante diem septimum accidit, malum.

L X I I I.

QVibus in febribus cotidie rigores fiunt, quotidie febre soluuntur.

Si rigor corripuerit ardor igneus superuenit, inquit Hipp. 1. de morbibus.

L X I V.

QVibus in febribus morbus regius septimo, vel nono, vel vndecimo, vel quartodecimo superuenerit, bonum: nisi dextrum hypocondrium obduruerit: si verò non, non bonum. Idem in Coac. & lib. iudic.

In

L X V.

IN febribus circa ventriculum, fortis æſtus, & cordis morſus: malum.

Quid ſit cordis morſus, vel cardiogmos græcè, vide in lib. noſtro de prognoſticis, cum de dolore agitur.

L X V I.

IN acutis febribus conuulſiones, & circa viſcera dolores fortes: malum.

L V I I.

IN febribus, ex ſomnis timores, vel conuulſiones: malum.

L X V I I I.

IN febribus ſpiritus offendens, malum. conuulſionem enim ſignificat.

L X I X.

Idem in Coacis.

QVibus adhuc febricitantibus, vrinæ ſunt craſſæ, grumoſæ, paucæ, multitudo earum tenuis ſuperueuiens, iuuat. præcipuè verò tales veniunt quibus ab initio, vel non ita multò poſt, ſedimentũ ineſt.

Quibus

LXX.

QVibus febricitantibus vrinæ sunt perturbatæ, quales sunt iumentorum, ijs dolor capitis vel adest, vel aderit. Idem in Coacis.

In lib.2. de morb. in principio, & alibi, ostendit Hipp. quod multum vrina emittitur, vbi caput incaluerit.

LXXI.

QVibus septimo die fit crisis, ijs nubecula rubea quarto die in vrina apparet, & alia, ex ratione. Idem in Coacis.

LXXII.

QVibus vrinæ albæ sunt, & perspicuæ, malæ: præsertim verò in delirantibus apparent.

Præsertim verò si in delirantibus appareant, legendum est: quia dictio si, in Græco reperitur.

LXXIII.

QVibus hypochondria suspensa murmurant, lumborum dolore superueniente, ijs alui

humectantur, nisi flatus erumpant, aut vrinæ multitudo proueniat. hæc verò in febribus.

LXXIV.

Idem lib. de humoribus, in fine. 6. epid. com. 4. tex. 2.

QVibus speratur abscessus futurus ad articulos: eos liberat ab abscessu vrina multa, crassa, & alba: qualis in laboriosis febribus quarto die quibusdam incipit fieri. Si verò etiam ex naribus fluxerit sanguis: breui admodum solutio fit.

LXXV.

Idem lib. de genitura.

SI sanguinem aut pus mingat, aut renum, aut vesicæ exulcerationem significat.

LXXVI.

Idem lib. de nat. human. in fi.

QVibus cum vrina crassa, carunculæ paruæ, aut veluti capilli vnà exeunt: ijs à renibus excernitur.

LXXVII.

Idem lib. de nat. humana.

QVibus cum vrina crassa, furfurea quædam simul exeunt: ijs vesica scabie laborat.

Qui-

LXXVIII.

QVicunque sponte sanguinem mingunt: ijs à renibus venula rupta significatur. Idẽ Hipp. li. de nat. humana. comm. 3. tex 19.

LXXIX.

IN quorum vrinis sabulosa subsistunt, ijs vesica laborat calculo. Idẽ Hipp. li de nat. humana. comm. 2. tex. 17.

Aduerte, quia sabulosa subsident, inquit Hipp. non sabulum subsidet; nimirum, quod subsidet non arena solum sit simplex, sed arenosum esse debeat, ad hoc vt verificetur aphorismus.

LXXX.

SI sanguinem mingant, aut grumos, vel stillicidium vrinæ habeant, & dolor in imum incidat ventrem, & pectinem, & femen: ad vesicam labor est.

LXXXI.


SI sanguinem aut pus minxerit, aut squamulas, & grauis odor adsit, vesicæ exulcerationem significat.

LXXXII.

QVibus in vrinaria fiſtula tuberculæ naſcuntur: ijs ſuppuratione facta & eruptione, ſolutio aduenit.

LXXXIII.

MIctio noctu plurima contingens, paruam ſignificat deiectionem.



LIBER QVINTVS.

Aphorism. I.



ONVVLSIO ex elleboro, lethalis est. Idē Hipp. in Coac.

II.

COnuulsio ex vulnere, lethalis est. Idē Hipp. in Coacis & 1. de morb.

Cuidam vulnerato in capite cum fractura cranei, vbi Chirurgus multa lineamenta vulneri imposuisset, vt vulnus apertum satis conseruaretur pro facili operatione; nimiumque lineis alijs tegmentis caput onerasset, vt à frigido externo tutum redderet; superuenit conuulsio colli, capitis, brachij, & sinistri ferè totius lateris. Consilio meo, qui eidem curationi intereram, fuit vulnus detectum, & omnia alia medicamenta familiares abiecerunt. & sic conuulsio statim euasit, & sanitati postmodum restitutus fuit ager. Ergo

 dice-

dicerem. Conuulsio à vulnere, vt vulnus est, lethalis: non autem semper in vulnere lethalis affirmarem.

III.

VBi sanguis plurimus fluxerit: singultus aut coluulsio superueniens, malum.

IV.

Idem lib. de vsu ve ratri, in princ.

EX nimia purgatione, conuulsio, aut singultus superueniens, malum.

V.

Idẽ 2. de morb.

SI ebrius quispiam repente obmutuerit: conuulsus moritur; nisi febre corripiatur: aut vbi ad horam peruenerit qua soluuntur crapulæ, vocem recuperet.

VI.

Idẽ Cels. lib. 4. c. 3.

QVicunque tetano corripiũtur, in quatuor diebus pereunt. si verò hos effugerint, sani fiunt.

VII.

QVibuscunque morbi comitiales fiunt ante pubertatem mutationem accipiunt. quibuscunque

autem

autem vigeſimoquinto, ferè commoriuntur.

VIII.

QVicunque morbo laterali laborantes, in quatuordecim diebus non repurgantur, ij ad ſuppurationem vertuntur.

Dictio morbo laterali, pleuritide legenda eſt; tum quia ita ſonant græca verba: tum etiam quia non omnis morbus lateralis eſt pleuritis; hic de pleuritide intelligitur.

IX.

TAbes fiunt præcipuè ætatibus à decimooctauo vſque ad trigeſimum quintum.

Celſus lib. 3. cap. 22. legit, ab anno duodecimo vſque ad trigeſimumquintum: ſed fortaſſe duodeuigeſimo dicere volebat.

X.

QVicunque ab angina liberantur, iјs ad pulmonem vertitur, & in ſeptem diebus pereunt. ſi verò has effugerint, ſuppurantur.

X I.

Idem in Caoc. & a de mor.

QVi tabe molestantur, si sputum quod extussiunt, graue olet iniectum carbonibus, & capilli à capite defluunt, lethale.

Hic dictio tabes, melius legeretur phtisis, vt gracè sonat.

X I I.

Idem in Coacis.

QVibuscunque tabe laborantibus, capilli à capite defluunt: ijs alui profluuio superueniente, moriuntur.

Etiam hic pro tabe phtisis intelligenda est.

X I I I.

Idē Hipp. in. Caoc.

QVicunque spumosum sanguinem expuunt, ijs è pulmone eductio fit.

X I V.

TAbe laboranti, profluuium alui superueniens, lethale.

X V.

QVicunque ex morbo laterali suppurantur, si in quadraginta diebus purgantur à die qua fit ruptio,

ruptio, liberantur. Si verò non, ad tabem transeunt.

Morbus lateralis pleuritis legendum, & per Hipp. 6. aph. 7. differunt hæc duo nomina.

XVI.

CAlidum, vbi quis sæpius eo vtitur, hæc mala affert, carnis effœminationem, neruorum imbecillitatem, mentis torporem, profluuia sanguinis, animi defectionem: quibus mors succedit. Idẽ Hipp. lib. de humid. vsu.

XVII.

FRigidum autem conuulsiones, tetanos, liuores, rigores febriles. Idẽ Hipp. lib. de humid. vsu.

XVIII.

FRigidum, inimicum ossibus, dentibus, neruis, cerebro, spinali medullæ: calidum verò vtile. Idẽ Hipp. lib. de humid. vsu.

XIX.

QVæcunque refrigerata sunt excalefacere oportet, exceptis ijs quibus sãguis fluit, aut fluxurus est. Idẽ Hipp. 6. epid. comm. 5. tex. 8. & lib de humid. vsu.

Cur etiam calefacta non perfrigeranda etiam hic docuit Hippoc.? quia dicerem, calido viuunt homines, frigido interdum extinguuntur. Ideo libentius calefaciẽda sunt corpora, quam refrigeranda.

XX.

Idem lib. de humidior. vsu.

VLceribus frigidum quidem mordax, cutem obdurat, dolorem insuppurabilem facit, liuorẽ inducit, rigores febriles, conuulsiones, tetanos.

XXI.

ESt autem vbi in tetano sine vlceratione, iuuene bene carnoso, æstate media, frigidæ aquæ multa perfusio calorem reuocat. Calor autem hæc soluit.

Vide Arist. 9.probl.9. Heliodorum Phœniceum lib.hist. Aethiopica 2. & Hipp. lib.de hum.vsu in fine.

XXII.

CAlidum suppuratorium non in omni vlcere, magnum ad securitatem est indicium, cutem mollit,

mollit, extenuat, dolorem sedat, rigores, conuulsiones, & tetanos mitigat: capitis soluit grauitatem: plurimum autem confert ossium fracturis, sed nudis præcipuè: eorumq. maximè qui in capite vlcera habent, & quæcunque à frigore moriuntur, vel vlcerantur, & herpetibus exedentibus, sedi, pudendis, vtero, vesficæ. his calidum amicum & iudicans, frigidum inimicum & perimens.

Caussam reddit huius aphorismi Hipp. in lib. de hum. vsu.

XXIII.

IN his frigido est vtendum, vnde fluit sanguis, aut fluxurus est, non ad ipsa admoto, sed circa ea vnde influit: & vbicunque inflammationes, aut velut incendia quædam ad rubrum & floridum, sanguine recenti tendunt: ijs ipsis admoto. nam veteribus nigredinem affert. Erysipelas etiam non vlceratum iuuat; nam exulceratũ lædit. Idē Hipp. lib. de humid. vsu. Cels. lib. 3. c. 10.

Frigi-

X X I V.

Idē Hipp. 6. epid. comm. 3. tex. 14. & lib. de humid. vsu.

FRigida qualis nix & glacies, pectori inimica: tusses mouēt, sanguinis profluuium, & destillationes.

X X V.

Idē Hipp. lib. de humid. vsu.

TVmores articulorum atque dolores absque vlcere, podagras & conuulsiones, horum plurima frigida aqua largè effusa leuat, & extenuat, soluitq. dolorem. nam modicus torpor dolorem soluit.

X X V I.

Idē 2. epidim. sect. 2. vide lib. de aere, aquis, & locis, Hipp. & Auic. 2. 1. d. 2. c. 16.

AQua quæ cito calet, & cito refrigeratur, leuissima est.

X X V I I.

QVi noctu bibere appetunt, ijs admodum sitientibus, si superdormierint, bonum.

X X V I I I.

SVffitus aromatum, muliebria ducit: sæpius verò & ad alia vtilis esset, nisi capitis faceret grauitatem.

Gra-

XXIX.

GRauidas purgare turgente, materia à quarto mense vsque ad septimum, minus verò has. Recentiores autem & seniores fœtus cauere oportet. Idem lib. 4. aph. 1.

XXX.

MVlierem vtero gerentem capi ab aliquo morbo acuto, lethale est. Idem Hipp. 1. de morb.

Mulier trimestri grauida 1. epid. sect. 3. tex. 30. num. 13. laborans acuta febre, decimaquarta die sine abortu seruata fuit.

XXXI.

MVlier vtero gerens, sanguine misso ex vena, abortit, & præcipuè si fœtus sit grauidior.

XXXII.

MVlieri sanguinem euomenti, menstruis erumpentibus, solutio aduenit.

Dictio erumpentibus, gracè ῥαγέντων dicitur; quam dictionem Gal. ad Iulia. cap. 1. apud Hipp. largiores

humectantur, nisi flatus erumpant, aut vrinæ multitudo proueniat. hæc verò in febribus.

LXXIV.

Idem lib. de humoribus, in fine. 6. epid. com. 4. tex. 2.

QVibus speratur abscessus futurus ad articulos: eos liberat ab abscessu vrina multa, crassa, & alba: qualis in laboriosis febribus quarto die quibusdam incipit fieri. Si verò etiam ex naribus fluxerit sanguis: breui admodum solutio fit.

LXXV.

Idem lib. de genitura.

SI sanguinem aut pus mingat, aut renum, aut vesicæ exulcerationem significat.

LXXVI.

Idem lib. de nat. human. in fi.

QVibus cum vrina crassa, carunculæ paruæ, aut veluti capilli vnà exeunt: ijs à renibus excernitur.

LXXVII.

Idem lib. de nat. humana.

QVibus cum vrina crassa, furfurea quædam simul exeunt: ijs vesica scabie laborat.

Qui-

LXXVIII.

QVicunque sponte sanguinem mingunt: ijs à renibus venula rupta significatur. Idē Hipp. li. de nat. humana. comm. 2. tex 19.

LXXIX.

IN quorum vrinis sabulosa subsistunt, ijs vesica laborat calculo. Idē Hipp. li de nat. humana. comm. 2. tex. 17.

Aduerte, quia sabulosa subsident, inquit Hipp. non sabulum subsidet; nimirum, quod subsidet non arena solum sit simplex, sed arenosum esse debeat, ad hoc vt verificetur aphorismus.

LXXX.

SI sanguinem mingant, aut grumos, vel stillicidium vrinæ habeant, & dolor in imum incidat ventrem, & pectinem, & femen: ad vesicam labor est.

LXXXI.


SI sanguinem aut pus minxerit, aut squamulas, & grauis odor adsit, vesicæ exulcerationem significat.

LXXXII.

QVibus in vrinaria fiſtula tuber cula naſcuntur: ijs ſuppuratione facta & eruptione, ſolutio aduenit.

LXXXIII.

MIctio noctu plurima contingens, paruam ſignificat deiectionem.



LIBER QVINTVS.

Aphorism. I.



ONVVLSIO ex elleboro, lethalis est. Idē Hipp. in Coac.

II.

COnuulsio ex vulnere, lethalis est. Idē Hipp. in Coacis & 1. de morb.

Cuidam vulnerato in capite cum fractura cranei, vbi Chirurgus multa lineamenta vulneri imposuisset, vt vulnus apertum satis conseruaretur pro facili operatione; nimiumque lineis alijs tegmentis caput onerasset, ut à frigido externo tutum redderet; superuenit conuulsio colli, capitis, brachij, & sinistri ferè totius lateris. Consilio meo, qui eidem curationi intereram, fuit vulnus detectum, & omnia alia medicamenta familiares abiecerunt. & sic conuulsio statim euasit, & sanitati postmodum restitutus fuit ager. Ergo

dicerem. Conuulſio à vulnere, vt vulnus eſt, lethalis: non autem ſemper in vulnere lethalis affirmarem.

III.

VBi ſanguis plurimus fluxerit: ſingultus aut coluulſio superueniens, malum.

IV.

Idem lib. de vſu veratri, in princ.

EX nimia purgatione, conuulſio, aut ſingultus ſuperueniens, malum.

V.

Idē 2. de morb.

SI ebrius quiſpiam repente obmutuerit: conuulſus moritur, niſi febre corripiatur: aut vbi ad horam peruenerit qua ſoluuntur crapulæ, vocem recuperet.

VI.

Idē Celſ. lib. 4. c. 3.

QVicunque tetano corripiũtur, in quatuor diebus pereunt. ſi verò hos effugerint, ſani fiunt.

VII.

QVibuſcunque morbi comitiales fiunt ante pubertatem mutationem accipiunt. quibuſcunque

autem

autem vigeſimoquinto, ferè commoriuntur.

VIII.

QVicunque morbo laterali laborantes, in quatuordecim diebus non repurgantur, ij ad ſuppurationem vertuntur.

Dictio morbo laterali, pleuritide legenda eſt; tum quia ita ſonant græca verba: tum etiam quia non omnis morbus lateralis eſt pleuritis; hic de pleuritide intelligitur.

IX.

TAbes fiunt præcipuè ætatibus à decimooctauo vſque ad trigeſimum quintum.

Celſus lib. 3. cap. 22. legit, ab anno duodecimo vſque ad trigeſimumquintum: ſed fortaſſe duodeuigeſimo dicere volebat.

X.

QVicunque ab angina liberantur, ijs ad pulmonem vertitur, & in ſeptem diebus pereunt. ſi verò has effugerint, ſuppurantur.

X I.

Idem in Caoc. & 2 de mor.

QVi tabe molestantur, si sputum quod extussiunt, graue olet iniectum carbonibus, & capilli à capite defluunt, lethale.

Hic dictio tabes, melius legeretur phtisis, vt gracè sonat.

X I I.

Idem in Coacis.

QVibuscunque tabe laborantibus, capilli à capite defluunt: ijs alui profluuio superueniente, moriuntur.

Etiam hic pro tabe phtisis intelligenda est.

X I I I.

Idē Hipp. in. Caoc.

QVicunque spumosum sanguinem expuunt, ijs è pulmone eductio fit.

X I V.

TAbe laboranti, profluuium alui superueniens, lethale.

X V.

QVicunque ex morbo laterali suppurantur, si in quadraginta diebus purgantur à die qua fit

ruptio,

ruptio,liberantur. Si verò non,ad tabem transeunt.

Morbus lateralis pleuritis legendum, & per Hipp. 6. aph. 7. differunt hac duo nomina.

XVI.

CAlidum,vbi quis sæpius eo vtitur,hæc mala affert, carnis effœminationem, neruorum imbecillitatem, mentis torporem, profluuia sanguinis, animi defectionem: quibus mors succedit. Idē Hipp. lib. de humid. vsu.

XVII.

FRigidum autem conuulsiones, tetanos, liuores, rigores febriles. Idē Hipp. lib. de humid. vsu.

XVIII.

FRigidum, inimicum ossibus, dentibus, neruis, cerebro, spinali medullæ: calidum verò vtile. Idē Hipp. lib. de humid. vsu.

XIX.

QVæcunque refrigerata sunt excalefacere oportet, exceptis ijs quibus sāguis fluit, aut fluxurus est. Idē Hipp. 6. epid. comm. 5. tex. 8. & lib de humid. vsu.

Cur etiam calefacta non perfrigeranda etiam hic docuit Hippoc.? quia dicerem, calido viuunt homines, frigido interdum extinguuntur. Ideo libentius calefacičda sunt corpora, quam refrigeranda.

X X.

Idem lib. de humidior. vsu.

VLceribus frigidum quidem mordax, cutem obdurat, dolorem insuppurabilem facit, liuorē inducit, rigores febriles, conuulsiones, tetanos.

X X I.

EST autem vbi in tetano sine vlceratione, iuuene bene carnoso, æstate media, frigidæ aquæ multa perfusio calorem reuocat. Calor autem hæc soluit.

Vide Arist. 9. probl. 9. Heliodorum Phœniceum lib. hist. Aethiopica 2. & Hipp. lib. de hum. vsu in fine.

X X I I.

CAlidum suppuratorium non in omni vlcere, magnum ad securitatem est indicium, cutem mollit,

mollit, extenuat, dolorem sedat, rigores, conuulsiones, & tetanos mitigat: capitis soluit grauitatem: plurimum autem confert ossium fracturis, sed nudis præcipuè: eorumq. maximè qui in capite vlcera habent, & quæcunque à frigore moriuntur, vel vlcerantur, & herpetibus exedentibus, sedi, pudendis, vtero, vessicæ. his calidum amicum & iudicans, frigidum inimicum & perimens.

Caussam reddit huius aphorismi Hipp. in lib. de hum. vsu.

XXIII.

IN his frigido est vtendum, vnde fluit sanguis, aut fluxurus est, non ad ipsa admoto, sed circa ea vnde influit: & vbicunque inflammationes, aut velut incendia quædam ad rubrum & floridum, sanguine recenti tendunt: ijs ipsis admoto. nam veteribus nigredinem affert. Erysipelas etiam non vlceratum iuuat; nam exulceratũ lædit. Idẽ Hipp. lib. de hu mid. vsu. Cels. lib. 3. c. 10.

Frigi-

XXIV.

Idē Hipp. 6. epid. comm. 3. tex. 14. & lib. de humid. vsu.

FRigida qualis nix & glacies, pectori inimica: tusses mouēt, sanguinis profluuium, & destillationes.

XXV.

Idē Hipp. lib. de humid. vsu.

TVmores articulorum atque dolores absque vlcere, podagras & conuulsiones, horum plurima frigida aqua largè effusa leuat, & extenuat, soluitq. dolorem. nam modicus torpor dolorem soluit.

XXVI.

Idē 2. epidim. sect. 2. vide lib. de aere, aquis, & locis, Hipp. & Auic. 2. 1. d. 2. c. 16.

AQua quæ cito calet, & cito refrigeratur, leuissima est.

XXVII.

QVi noctu bibere appetunt, ijs admodum sitientibus, si superdormierint, bonum.

XXVIII.

SVffitus aromatum, muliebria ducit: sæpius verò & ad alia vtilis esset, nisi capitis faceret grauitatem.

Gra-

XXIX.

GRauidas purgare turgente materia à quarto mense vsque ad septimum, minus verò has. Recentiores autem & seniores fœtus cauere oportet. Idem lib. 4. aph. 1.

XXX.

MVlierem vtero gerentem capi ab aliquo morbo acuto, lethale est. Idem Hipp. 1. de morb.

Mulier trimestri grauida 1. epid. sect. 3. tex. 30. num. 13. laborans acuta febre, decimaquarta die sine abortu seruata fuit.

XXXI.

MVlier vtero gerens, sanguine misso ex vena, abortit, & præcipuè si fœtus sit grauidior.

XXXII.

MVlieri sanguinem euomenti, menstruis erumpentibus, solutio aduenit.

Dictio erumpentibus, gracè ῥαγέντων dicitur; quam dictionem Gal. ad Iulia. cap. 1. apud Hipp. largiores

vacua-

vacuationes significare dixit.

XXXIII.

MEnstruis deficientibus, sanguis ex naribus fluens, bonum.

XXXIV.

MVlieri in vtero gerenti si aluus plurimum profluat, periculum est ne abortiat.

XXXV.

MVlieri quæ vterinis molestatur, aut difficulter parit, superueniens sternutatio, bonum.

XXXVI.

MVlieri menses decolores, nec per idem semper tempus venientes, purgationem indicant esse necessariam.

Nec eodem modo melius legitur: quia de colore menstruorum hic est sermo Hipp. non vero de tempore. si varietur quandoque decoloratio in menstruis, purgatio indicatur: si autem uniformiter decolora sint menstrua, signum est mulieri naturalia

esse:

esse: Ideo non eodem semper modo decolorata menstrua purgationẽ indicant; quamquam non per eadem tempora aduenientia; cum etiam nulla sit temporis mentio hic ab Hipp. & cum menstruis non eodem tempore accedentibus sanissimè viuant mulieres, vt experientia constat.

XXXVII.

MVlieri vtero gerenti si mammæ graciles repente fiant; abortit.

XXXVIII.

MVlieri vtero gerenti & geminos habenti, si altera mamma gracilis fiat: alterum abortit: & siquidem mamma dextra gracilis fiat, marem: si verò sinistra, fœminam.

XXXIX.

SI mulier quæ neque grauida est, neque peperit, lac habet: huic menstrua defecerunt.

Qui-

X L.

QVibuscunque mulieribus ad mammas sanguis colligitur, furorem significat.

X L I.

SI velis noscere an conceperit mulier, cum dormitura est, ei aquam mulsam potandam da: & si alui tormina patietur, concepit: si minus, non concepit.

In hoc aph. deficiunt verba non cœnatæ: scilicet aquam mulsam potandam da non cœnatæ ἀδείπνῳ ἐούσῃ.

X L I I.

MVlier grauida si marem conceperit, bene colorata est: si verò fœminam, male colorata.

In lib. de sterilibus vbi eadem repetuntur, addit Hipp. plerumq. hoc esse.

X L I I I.

Idē Hipp. 1. & 2. de morb. & 2. de nat. mul. propè finem.

SI mulieris grauidæ in vtero sit erysipelas, lethale.

Quæ-

XLIV.

QVæcunque præter naturam tenues exiſtentes, vtero gerunt, abortiunt prius quàm craſſeſcant. Idē Hipp. li. de nat. mul. propè finem.

XLV.

QVæcunque mediocriter corpora habentes abortiunt ſecundo aut tertio menſe ſine occaſione manifeſta, ijs acetabula vteri plena mucoris ſunt, & non poſſunt propter pondus fœtum continere, ſed dirumpuntur. Idē Hipp. li. de nat. mul.

XLVI.

QVæcunque præter naturam craſſæ, non concipiunt vtero, ijs omentum os vteri comprimit: & prius quàm extenuentur, non concipiunt. Idē Hipp. in lib. de ſuperfœtatione.

XLVII.

SI vterus in coxam vergens ſuppuratur, neceſſe eſt linamentum fieri.

Dictio linamentum, græcè ἐμμοτον *eſt; quam dictionem vlceratum le-*

git Alex. Petron. in proprio comm. huius aphor.

XLVIII.

Idem lib. 6. epid. sect.4. te. 27. & 2. epid. sect. 6.

FOetus, mares quidem in dextris, fœminæ verò in sinistris magis.

XLIX.

Idē Hipp. 2. epid. sect. 5. in fine.

VT secundæ procidant, sternutatorio apposito, nares cōprime, & os.

L.

Idē Hipp. li. 7. aph. 27.

MVlieri in vtero habenti, tenasmus superueniens abortum facit.

LI.

Idem 2. epid. Hip. sect. 6.

MVlieri si velis menstrua cohibere, cucurbitulam quammaximam ad mammas appone.

LII.

Idem 2. epid. sect. 6. Hipp.

QVæ vtero gerunt, ijs vteri os comprimitur.

LIII.

Idem 2. epid. Hip. sect. 6.

MVlieri vtero gerenti, si lac multum è mammis effluat, fœtum imbecillem significat. si verò

rò mammæ ſolidæ fuerint, fœtum ſignificant ſaniorem.

L I V.

QVæ corrupturæ ſunt fœtus, ijs mãmæ extenuantur. Quod ſi rurſus duræ fiant, dolor aut mammas, aut coxas, aut oculos, aut genua infeſtabit, & non corrumpent.

L V.

QVibus os vteri durum eſt, ijs vteri os comprimi eſt neceſſarium.

L V I.

QVæcunque vtero gerentes à febribus corripiuntur, & fortiter calefiunt ſine occaſione manifeſta, difficulter pariũt, & cum periculo, aut abortum facientes, periclitantur.

L V I I.

IN fluxu muliebri ſi conuulſio & animi defectus aduenerit, malum. Vide lib. de genit.

LVIII.

MEnstruis largius fluentibus, morbi eueniunt: non fluentibus autem ex vtero morbi contingunt.

LIX.

REcto intestino, aut vtero inflammationem patiente, & renibus purulẽtis, vrinæ aduenit stillicidium. iecinoris verò inflammationem, singultus sequitur.

LX.

SI mulier non concipit, scire autem velis si conceptura sit, pannis circumtectam inferne suffias: & si odor videatur per corpus ire ad nares & os, scito quòd ipsa non ex seipsa sterilis est.

LXI.

SI mulieri vterò gerenti purgationes procedant, impossibile est foetum esse sanum.

LXII.

Idem Gal. li. de nat. hum. comm. 1. cx. 11.

SI mulieri cessent purgationes, neque febri, neque rigore superue-

peruenientе, & faſtidia cibi incidant, iudica ipſam in vtero habere.

LXIII.

Quæcunque frigidos & ſpiſſos vteros habent, non concipiũt. Et quæcunque præhumidos vteros habent, non concipiunt. extinguitur enim in eis genitura. Et quæcunque ſiccos multum, & præcalidos. nam ex defectu alimenti corrumpitur ſemen. Quæcunque verò ex vtriſque mediocrem habent temperaturam, eæ fœcundæ ſunt.

LXIV.

Similiter autem & in maribus. Aut enim propter corporis raritatem ſpiritus extra fertur, ita vt ſemen non tranſmittat ad os, vel propter ſpiſſitudinem humor non exit foras, vel propter frigiditatem non concaleſcit, itaque in eo loco concreſcit: vel propter caliditatem hoc idem accidit.

LXV.

Idē Hipp. 2. epid. sect. 3.

LAc dare caput dolentibus, malum: malum verò & febricitantibus, & quibus hypochondria suspensa murmurant, & siticulosis: malum autem & quibus in febribus acutis biliosæ sunt deiectiones, & quibus sanguinis multi deiectio facta est. Conuenit autem tabidis dare, qui non valde multum febricitant, & in febribus longis, & paruis, si nullum ex supradictis signis affuerit, & præter rationem consumptis.

Vt alimentum ego dicerem, quia aliàs vt medicamentum lac præbuit febricitantibus, & alijs pluries Hipp.

LXVI.

Idē Hipp. 2. epid. sect. 3.

QVibus tumores in vlceribus apparent, non admodum cōuelluntur, neque insaniūt: verum his euanescentibus de repente, illis quidem quibus à tergo, conuulsiones & tetani fiunt; quibus autem à fronte, insania, vel dolor

lor

lor lateris acutus, vel suppuratio, vel difficultas intestinorum, si tumores sunt rubicundi.

LXVII.

SI in vulneribus fortibus & prauis tumores non appareant, ingens malum.

LXVIII.

MOlles boni, crudi verò mali. Vide Hip. 6. epid. sect. 2. comm. 9. & 27.

LXIX.

DOlenti parte capitis posteriore: in fronte recta vena incisa prodest. Idē Hipp. 2. epid. sect. 3. vide lib de hum. vsu. & 6. epid. sect. 3. te. 19.

LXX.

RIgores incipiunt, mulieribus quidem ex lumbis magis, & per dorsum percurrunt ad caput, sed & viris parte corporis posteriore magis quam anteriore, veluti ex femore & cubito. Sed & cutis rara: indicio autem est pilus. Idē Hipp. 6. epid. sect. 6. te. 7.

LXXI.

A Quartanis capti, non admodum à conuulsionibus capiūtur. Idē Hipp. 6. epid. sect 6.


tur. Si verò prius capiantur, & quartana superuenerit, liberantur.

LXXII.

QVibus cutes circumtenduntur aridæ & siccæ, sine sudore moriuntur: quibus verò laxæ & raræ, cum sudore moriuntur.

LXXIII.

QVi regio morbo laborant, non multum ventosi sunt.



LI-

LIBER SEXTVS.

Aphorism. I.


N longis leuitatibus intestinorũ, si ructus acidus superueniat, qui prius non erat: signum bonum. Idem lib. 2. epid. sect. 2.

Demenete talem vomitum contigisse in epid. refertur.

II.

QVibus nares natura humidiores, & genitura humidior, minus integra sanitate fruuntur: quibus verò contraria, salubrius degunt. Idem 6. epid. Hippoc. sect. 6.

III.

IN longis difficultatibus intestinorum, cibi fastidium malum, & cum febre peius. Vide 6. epid. sect. 7.

IV.

VLcera circunglabra, praua sunt. Idem 6. epid. Hippoc. sect. 7.

Dolo-

V.

DOlores laterum, pectoris, & aliarum partium si multum differant: sunt considerandi, perdiscendum.

Hipp. lib. 6. epid. sect. 7. sic legitur aph. iste. Dolorum in lateribus, & pectore, & alijs partibus, tempora an multum differant, considerandum est.

VI.

REnum & vessicæ vitia in senioribus difficulter sanantur.

Lib. 6. epid. sect. 7. Renum affectiones, inquit etiam Hipp. non vidi sanatas supra quinquagesimum annum.

VII.

DOlores ventris sublimes, leuiores: qui verò non sublimes, fortiores.

VIII.

AQua inter cutem laborantibus, vlcera in corpore facta, difficulter sanantur.

I X.

LAtæ puſtulæ non admodum pruriunt. Idē Hipp. 6. epid. ſect. 2. te. 30.

X.

CAput dolenti, & vehementer laboranti, pus, vel aqua, vel ſanguis effluens per nares, aut os, aut aures, morbum ſoluit. Idē Hipp. lib. 2. de morb. in Coac. & lib de ſalubri diæta.

Verba vehementer laboranti græcè leguntur περιωδυνέοντι*, quod circumdolenti melius legi ego dicerem.*

Echecrati cœco 7. epid. ægro ſanatus fuit capitis dolor poſt emiſſionem puris per aures.

X I.

MElancholia & nephritide laborantibus: hæmorrhoides ſuperuenientes, bonum.

X I I.

ADiuturnis ſanato hæmorrhoidibus; ſi vna non ſeruatur, periculum eſt aquam inter cutem vel tabem aduenire.

Aliter egit Hipp. in lib. de hemorrhoidibus.

A ſin-

XIII.

A Singultu correptum, sternutatio superueniens liberat.

XIV.

HYdrope correpto, si aqua è venis in ventrem defluxerit, soluitur morbus.

XV.

Vide 1. de morb.

LOngo alui profluuio laboranti, spontaneus vomitus superueniens, morbum soluit.

Vide Arist. 3. de animal. c. 15.

XVI.

PLeuritide, & peripneumonia correpto, alui profluium aduenìens malum.

XVII.

LIppientem alui profluuio corripi, bonum.

XVIII.

Idem Hip. 1. de morb. initio, & in Coacis.

VEssica discissa, aut cerebro, aut corde, aut præcordijs, aut aliquo ex tenuioribus intestinis, aut ventriculo, aut iecore, lethale est.

Cum

XIX.

CVm discissum fuerit os, aut cartilago, vel neruus, aut genæ particula tenuis, vel præputiũ, neque augetur, neque coalescit. Idem in Coacis, & 1. de morb.

XX.

SI in ventrem sanguis præter naturam effunditur, necesse est suppurari.

XXI.

IN insanientibus si varices, vel hæmorrhoides superuenerint, insaniæ solutio.

Nomine insaniæ propriè maniam intelligit hic Hipp. non verò melancholiam, vt aliqui putant. & ille qui in 5. epid. recensetur æger, cessantibus hemorrhoidibus maniacus factus fuit non melancholicus: sciebat maximè Hipp. differentiam inter maniam, & melancholiam, siq. id vltimum voluisset dicere, dixisset vtique.

Quæ-

XXII.

QVæcunque ruptiones ex dorso ad cubitum descendunt, venæ sectio soluit.

XXIII.

SI timor atque mœstitia longo tempore perseuerent, ex eo atra bilis significatur.

Dictio μελαγχολικὸν, male atra bilis vertitur: quia nomine atra bilis humorem intelligit Hipp. Cum autem, inquit, melancholiam intelligit affectum ipsum melancholicum, vt hic in præsenti aph. melancholia significatur, hoc est melancholicè delirat, intelligendum est.

XXIV.

Idem in Coacis.

SI quod intestinorum gracilium discindatur, non coalescit.

XXV.

Idē Hippoc. 1. de morb.

ERysipelas ab exterioribus verti ad interiora, non est bonū: ab interioribus autem ad exteriora, bonum.

XXVI.

QVi in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio soluũtur.

XXVII.

QVicunque suppurati aut aquã inter cutem patientes vruntur aut secantur: si pus, aut aqua vniuersim effluxerit, omnes moriuntur.

XXVIII.

EVnuchi neque podagra laborant, neque calui fiunt.

Ratio huius aph. legitur in lib. de nat. pueri Hipp.

XXIX.

MVlier podagra non laborat, nisi menstrua defecerint.

XXX.

PVer podagra non laborat ante vsum venereorum.

XXXI.

DOlores oculorum, meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venæ sectio, aut medicamentum epotum soluit.

Lege cur vinũ sedet dolores apud Gal. 6. epid. 5. 6. t. 5.

XXXII.

BAlbi ab alui profluuio maximè capiuntur.

XXXIII.

QVi acidum eructant, nõ valde morbo laterali corripiuntur.

XXXIV.

QVicunque calui sunt, ijs magnæ varices non fiunt: quibus verò caluis varices magnæ superueniunt, ij rursus capillati fiunt.

XXXV.

AQua inter cutem laborãtibus, tussis superueniens, malum.

XXXVI.

DIfficultatem vrinæ, vena secta iuuat: secare vero interiores.

XXXVII.

Idẽ Cels. lib. 4. c. 4.

ANgina correpto, si tumor fiat in collo, bonum. foras enim morbus deducitur.

Can-

XXXVIII.

CAncros occultos habentes melius est non curare. Curati enim cito pereunt: non curati verò longius tempus perdurant.

XXXIX.

COnuulsio fit vel ex repletione, vel inanitione: ita verò & singultus.

De inanitione, vel repletione vētriculi intelligitur in hoc aph. quia sequuntur deinde verba, ita etiam & singultus; singultus autem potissimum ex repletione, & inanitione ventriculi nascitur. Vtitur etiam in hoc eodem loco Hipp. dictione κενώσιος. quam superioribus 2. & 3. aph. lib. 1. inediam significare dicebamus. Inedia verò particulariter ventriculi est passio: ergo de inanitione ventriculi hic etiam intelligitur aphorismus. Conuulsio scilicet ex inanitione ventriculi, & repletione fit, veluti & singultus. Conuulsionem ex ventriculi inanitione

vidi ego in Admodum Reuerendo quodam Patre Carmelitano Ordinis Discalceatorum; qui cum ex inedia conuelleretur, fuit à me sanatus propinatione alimenti. Nobilis quidam Germanus Seminarij S. Apollinaris Alumnus, cum à iugi potatione, & edacitate, quibus consuetus erat, ad vitam religiosam, & frugalem transitum fecisset, incidebat sæpe sæpius in conuulsiones, à quibus tandem cognita causa, curatus fuit cum reditu ad suam consuetudinem, & largiori potu, & victu pleniori melius se habuit. Vnde benè loquebatur Hipp. in aph. cum quæ consueta sunt, & si deteriora, insuetis tamen minus molestare solent, affirmabat; oportet igitur etiam ad consueta transire.

X L.

QVibus dolor circa hypochondrium fit absque inflammatione, ijs febris superueniens morbum soluit.

Qui-

X L I.

QVibuſcunque ſuppuratio in corpore exiſtens non innoteſcit, ijs ob craſſitudinem puris aut loci non innoteſcit.

X L I I.

MOrbo regio laborantibus ſi fiat hepar durum, malum.

X L I I I.

QVicunque lienoſi à difficultate inteſtinorum capiuntur: ijs ſuperuenientem longam difficultatem inteſtinorum, aqua inter cutem, aut leuitas inteſtinorum excipit, & moriuntur.

X L I V.

QVibus ex ſtillicidio vrinæ ileos ſuperuenerit, in ſeptem diebus pereunt, niſi febre ſuperueniente, ſatis vrina fluxerit.

X L V.

IN vlceribus annuis, aut etiam diuturnioribus, abſceſſum cum oſſe communicari eſt neceſſe, & cicatrices cauas fieri.

Vide Hippoc 2. de morb. c. de oſſis carè.

XLVI.

QVibus gibbi ex asthmate aut tussi fiunt ante pubertatem, moriuntur.

XLVII.

QVibuscumque venæ sectio, vel medicatio conuenit, hos verè purgare, vel venam incidere oportet.

XLVIII.

LIenosis difficultas intestinorum superueniens, bonum.

XLIX.

QVibuscunque morbi podagrici fiunt, ij sedata in quadraginta diebus inflammatione, finiunt.

L.

Vide Hippoc 2. de morb. cũ de cerebro concusso Id. Hipp. 2. de morb.

QVibuscunque præciditur cerebrum: ijs necesse febrem, & bilis vomitum superuenire.

LI.

QVicunque sani dolore capitis repente capiuntur, & statim muti fiunt & stertunt, in septem

diebus pereunt, nisi febris apprehenderit.

LII.

OPortet verò considerare oculorum in dormientibus suspectiones. Nam si quid album commissis palpebris subinspicitur, neque ex alui profluuio, aut medicamenti potione istud contingat, malum est signum, & lethale valde. Id Hipp. 1. progn. tex. 11.

LIII.

DEsipientiæ quæ cũ risu fiunt, securiores: quæ vero cum studio, periculosiores.

LIV.

IN acutis passionibus quæ cum febre sunt, luctuosa suspiria, mala.

LV.

DOlores podagrici vere & autumno magna ex parte mouentur.

LVI.

IN morbis melancholicis in hæc pericula inciditur: stuporem

corporis, vel conuulsionem, vel furorem, vel cæcitatem significant.

L V I I.

APoplexiæ autem fiunt maximè à quadragesimo anno vsque ad sexagesimum.

L V I I I.


SI omentum excidat, necessariò putrescit.

L I X.

QVibuscunque à longo coxendicum dolore molestatis, cauitate sua excidit coxa, & rursus recidit: ijs mucores superueniunt.

L X.

QVibuscunque à coxendicum dolore molestatis diuturno excidit coxa: ijs crus tabescit, & claudicant, si non vrantur.



LIBER SEPTIMVS.

Aphorism. I.



N morbis acutis frigus partium extremarum, malum. Id Hipp. 2. progn. tex. 4. 4. aph. 48 & in Coac.

I I.

IN ægrotante caro liuida, malum eſt.

I I I.

A Vomitu ſingultus, & oculorum rubor, malum.

I V.

A Sudore horror, non bonum.

V.

A Furore difficultas inteſtinorum, vel aqua inter cutem, vel mentis alienatio, bonum.

Mentis alienatio ἔκστασις græcè dicitur, quæ non delirium, ſed vehemens potius eſt imaginatio, vel mentis abſtractio magna ad aliquam ſpeciem. Auic. cauſſam reddit præ-

sentis aphorismi 14. 3. *tractatu* 4. *cap*.4.

V I.

IN morbo diuturno fastidium cibi, & deiectiones syncerae, malum.

V I I.

EX multa potatione rigor & desipientia, malum.

V I I I.

A Tuberculi introrsum ruptione, virium deiectio, vomitio, aut animi defectio fit.

I X.

A Profluuio sanguinis, desipientia, ac conuulsio, malum.

X.

AB ileo vomitus, singultus, desipientia, vel conuulsio, malum.

X I.

A Morbo laterali inflammatio pulmonis, malum.

XII.

A Pulmonis inflãmatione phrenitis, malum.

XIII.

AB æstibus fortibus conuulsio, aut tetanus, malum.

XIV.

EX capitis ictu obstupescentia & desipientia, malum.

XV.

A Sanguinis sputo puris sputum, malum.

XVI.

A Puris sputo, phthisis, & fluxus: cùm verò sputum retinetur, moriuntur.

XVII.

IN hepatis inflammatione singultus, malum.

XVIII.

EX vigilijs, conuulsio, vel desipientia, malum.

XIX.

EX ossis nudatione erysipelas.

X X.

AB eryſipelate putredo aut ſuppuratio, malum.

X X I.

A Lethargo tremor, malum.

A Forti in vlceribus pulſu, profluuium ſanguinis, malum.

X X I I.

A Ventris dolore diuturno, ſuppuratio.

X X I I I.

A Deiectione ſyncera difficultas inteſtinorum, malum.

X X I V.

IN oſſis præciſione, deſipientia, ſi in vacuum apprehenderit.

X X V.

EX medicamenti potione conuulſio, lethalis eſt.

X X V I.

IN forti dolore ventris, partium extremarum frigiditas, malum.

Mu-

XXVII.

MVlieri vtero gerenti si tetanus superuenerit, facit abortum. Id. Hipp. 6. aph. 19

Non tetanus, sed tenasmus gracè legitur: & ita etiam latinè hic legendum est.

XXVIII.

QVando os, aut cartilago, aut neruus abscinditur in corpore: neque augetur, neque coalescit.

XXIX.

EI qui leucophlegmatia detinetur, si fortis ventris fluxus superuenerit, à morbo liberatur.

XXX.

QVibus in alui profluuijs excrementa spumosa sunt, ijs ex capite pituita defluit. Id. Hipp. 2. progn. 28. in Coacis. 3. epid. sect. 1. t. 18.

XXXI.

QVibuscunque febricitantibus, in vrinis fiunt sedimina, veluti farina crassior, longam ægritudinem fore significat.

Qui-

XXXII.

Id Hipp. 1. progn. t.28 com. 1.

QVibus autem vrinis biliosa sedimina, ac supernè tenues sunt: acutum morbum significant.

XXXIII.

QVibuscunque vrinæ diuulsæ sunt, ijs turbatio fortis in corpore fit.

XXXIV.

QVibus in vrinarũ summo bullæ insident, morbum renalem & longum significant.

XXXV.

QVibus autem summum est pingue & consertum: ijs renum dolor & morbus esse acutus significatur.

XXXVI.

QVibus autem morbo renali laborantibus prædicta acciderũt signa, doloresq. circa spinæ musculos fiunt; siquidẽ circa loca exteriora fiant, abscessus quoque exterius futuros expecta. si verò dolores magis circa loca interiora fiant,

fiant, etiam abſceſſus expecta futuros interius.

XXXVII.

QVicunque euomunt ſanguinẽ, ſi ſine febre quidem, ſalutare: ſi verò cum febre, malum. Curare verò acerbis, & refrigerantibus. Id. Hipp. 1 prænot. com. 1. tex. 31.

XXXVIII.

DIſtillationes in ventrem ſuperiorem ſuppurantur intra viginti dies. Vide aphor. 80. 4. lib.

XXXIX.

SI quis ſanguinem minxerit & grumos, & ſtillicidio vrinæ laboret, & dolor inciderit in imum ventrem, pectine & ad anum: circa veſicā morbus eſſe ſignificatur.

XL.

SI lingua repente incontinens fiat, aut aliqua pars corporis ſtupida, tale eſt melancholicum.

Dictio ſtupida græce ἀπόπληκτον eſt, latinè apoplictica legenda eſt etiam, non ſtupida; ſiquidem maximè

mè differt apoplexia, vel resolutio latinè propriè dicta, à stupore: quamquam stupor via sit ad resolutionem. Tale est melancholicum, scilicet melãcholicus morbus affectus hic est: iuxta illa alia 6. aph. 56. In melancholicis affectibus in hæc pericula inciditur, apoplexiam corporis, vel conuulsionem, vel furorem, vel cœcitatem significant.

XLI.

SI senioribus supra modum purgatis, singultus superuenerit, non bonum.

XLII.

SI febris non ex bile sit: multa aqua calida capiti superinfusa, solutio fit febris.

XLIII.

MVlier ambidextera non fit.

XLIV.

Vide Hip. 2. de morb. cũ de suppurato secto agit.

QVicunque suppurati vruntur, vel secantur, si pus purum fluxerit & album, euadunt: si verò sub-

subcruentum, & fœculentum ac fœtidum, pereunt.

X L V.

QVorum hepar suppuratum, aduritur, si pus purum fluxerit & album, euadunt. in tunica enim his pus continetur. si verò qualis amurca fluat, pereunt.

X L V I.

DOlores oculorum, post meri potionem, & aquæ calidæ balneum, venæ sectione curato.

X L V I I.

AQua intẽr cutẽ laborãs, si tussi corripiatur, desperatus est.

X L V I I I.

VRinæ stillicidium, & mingendi difficultatem, vini potio, & venæ sectio soluit. incidere autem interiores.

X L I X.

AB angina correpto tumor & rubor in pectore superueniens, bonum: extra enim vertitur morbus. Id. Hipp. 6. aph. 37.

Qui-

L.

QVibus cerebrum ſphacelatum eſt, in tribus diebus pereunt: ſi verò hos euaſerint, ſani fiunt.

L I.

STernutamentum fit ex capite, calefacto cerebro, aut humectato eo quod in capite inani. Aer enim intus contentus extra erumpit. Sonat autem, quoniam per anguſtum ipſi eſt exitus.

L I I.

QVibus hepar vehementer dolet, ijs febris ſuperueniens ſoluit dolorem.

L I I I.

QVibus à venis ſanguinem mittere confert, ijs vere venā oportet ſecare.

L I V.

QVibus inter ventriculum & ſeptum tranſuerſum pituita repoſita eſt, & dolorem affert non habens viam ad alterum ventrem:

ijs

ijs per venas in vesicam pituita versa, soluitur morbus.

L V.

QVibus hepar aqua plenum: in omentum eruperit, ijs venter aqua repletur, & moriuntur.

L V I.

ANxitudo, oscitatio, horror: vinum æquale æquali potum, soluit ægritudinem.

L V I I.

QVibus in vrinario meatu tubercula fiunt: ijs suppuratione facta & eruptione, soluitur dolor.

L V I I I.

QVibus cerebrũ aliqua ex causa concussum fuerit, necesse est statim mutos fieri.

L I X.

COrporibus carnes habentibus humidas, famem adhibere conuenit. fames enim corpora siccat.

Vide in Coac. & X de morbis Hipp.

L X.

SI febre correpto, tumore non existente, in faucibus suffocatio repente superueniat, & non possit deuorare, nisi vix: lethale.

L X I.

SI febre correpto collum peruertatur, & deuorare non possit, tumore non existente in collo: lethale.

L X I I.

VBi in toto corpore fiunt mutationes, & corpus refrigeratur, & rursus calefit, aut colorem alium ex alio commutat, longitudo morbi significatur.

L X I I I.

SVdor multus calidus, vel frigidus semper fluens, repletionem humoris esse significat: abducere igitur oportet, robusto quidem supernè, debili verò infernè.

L X I V.

FEbres quæcunque non intermittentes, si tertia die fortio-

res

res fiunt, periculosæ: quocunque autem modo se remiserint, significant quòd non sunt periculosæ.

LXV.

QVibuscunque febres sunt longæ: ijs vel tubercula, vel ad articulos dolores decumbunt.

LXVI.

QVibuscunque tubercula diutina, aut in articulos dolores ex febre decumbunt, ij cibo pleniore vtuntur.

LXVII.

SI quis cibum febricitanti dederit: sano quidem robur, laboranti verò morbus.

LXVIII.

QVæ per vesicam excernuntur, inspicere oportet si talia sunt, qualia sanis excernuntur. Quæ igitur minimè similia sunt his, hæc morbosiora. Quæ verò sunt sanis similia, hæc minimè morbosa.

LXIX.

ET quibus deiectiones si stare permiseris,& non moueris,veluti strigmenta subsistunt: & si pauca sint , paucus est morbus : quòd si multa , multus: ijs confert alui purgatio . quòd si aluo non purgata dederis sorbitiones, quanto plures dederis, tanto magis nocebis .

LXX.

QVibuscunque cruda infra deijciuntur,atra bilis inest : si plura,maior : si pauciora , minor est morbus .

LXXI.

EXcretaiones in febribus non intermittentibus liuidæ , sanguineæ, biliosæ, & fœtidæ,omnes malæ . Cùm verò bene excernuntur,bonum est, & per ventrem , & per vesicam : & vbi aliquid secedens steterit non purgatum , malum .

Cor-

LXXII.

Corpora oportet vbi quis purgare voluerit, fluida facere, sistere aluum: si verò infra, humectare.

LXXIII.

Somnus, vigiliæ, vtraque modum excedentia, morbus.

LXXIV.

In febribus nõ intermittentibus si exteriora frigent, interiora vruntur, & febris habeat, lethale.

Dictio febris, sitim legenda est.

LXXV.

In febre non intermittente si labrum, aut nasus, aut oculus, aut supercilium peruertitur, si non videat, si non audiat, & iam debilis sit: quicquid horum fuerit, lethale est.

LXXVI.

A Pituita alba, aqua inter cutem superuenit.

LXXVII.

AB alui profluuio, difficultas inteſtinorum.

LXXVIII.

A Difficultate inteſtinorum, leuitas inteſtinorũ ſuperuenit.

LXXIX.


A Corruptione, abſceſſus oſſis.

LXXX.


A Sanguinis vomitu, tabes, & puris purgatio ſupra.

LXXXI.

QValia fuerint veſicæ, aut alui excrementa, & ex carnibus, & ſicubi alibi à natura corpus exierit, ſi parum, paucus eſt morbus: ſi multum, multus: ſi valde multum, lethale eſt.



LIBER OCTAVVS.



OPERA ET STVDIO doctissimi viri, Antonij Musæ Brasauoli Medici Ferrariensis, partim ex ijs Aphorismis, quos Galenus de industria intactos prætermisit, partim etiam ex ijs, qui pro nothis & spurijs in Græcis Aphorismorum codicibus habentur, in vnum cõgestus, & tandem in linguam Latinam quàm accuratissimè ab eodem versus.

Aphorism. I.



QVI supra quadraginta annos phrenetici fiunt, non omnino sanantur: minus enim periclitantur, quorum & naturæ & ætati morbus sit conueniens.

II.

QVibuſcunque in morbis oculi ex cauſa illacrymant, bonum: quibuſcunque autem ſine cauſa, malum.

III.

QVibuſcunque in quartanis febribus ſanguis è naribus defluxerit, malum eſt.

IV.

SVdores in diebus iudicatorijs, vehementes & celeres ſi fiant, periculoſi: prælertim qui ex fronte tanquam guttæ & fiſtulæ ſalientes pelluntur, frigidiq. valde atque multi: neceſſe enim eſt talem ſudorem, multa vi & labore, & longa expreſſione exire.

V.

POſt longum morbum, alui defluxio, malum. *Vel*: In morbo diuturno fluxa aluus, malum.

VI.

QVoſcunque morbos medicamenta non ſanant, ferrum ſanat:

nat: quos ferrum non ſanat, ignis ſanat: quos verò ignis non ſanat, hos ſanari non poſſe putato: vel hos incurabiles exiſtimari oportet.

VII.

TAbifici morbi, vel tabes, à decimooctauo anno vſque ad trigeſimumquintum potiſſimum gignuntur.

VIII.

QVæ ſecundum naturam ad phtiſim vergũt, omnia quidem vehementia. quædam etiam lethalia. Secundum autem erat morboſo in tempore: quando ipſa hora morbo opitulatur: Sicut ardenti febri æſtas, hydropico hyẽs: ſuperuincit enim quod eſt à natura: idq. ſpleni plus affert timoris.

IX.

LIngua nigra atque cruenta, quum quid horum ſignorum abeſt, malum validum non eſt, & imbecilliorem luctum ſignificat.

X.

HAec quidem in acutis febribus obſeruentur, vti ſi quis moriturus, vel euaſurus ſit, dignoſcamus.

X I.

TEſtis dexter frigidus, conuulſusque, mortiferum eſt.

X I I.

VNgues nigri, digiti pedum frigidi, nigri, demiſſi vel proclinati, mortem proximam eſſe portendunt.

X I I I.

QVod etiam digitorum extrema frigida præſeferunt.

X I V.

ET labia liuida, reſoluta, inuerſa, frigida ſi ſint, mortiferum eſt.

X V.

SI oculi caligant; vel lucem auerſantur, qui ſomno multo & æſtu detinetur, extra ſpem eſt.

XVI.

SI quis sensim rabie quadam efferatur, si quis non cognoscit, non audit, non intelligit, mortiferum est.

XVII.

PAulò post morituris signa hæc sunt clara magis, ventriculi si tolluntur, tumescunt & inflantur.

XVIII.

TErminus verò mortis hic est, quũ animæ calor supra vmbilicũ præcordiaq. recurrit & ascẽdit, ac omne humidũ humorẽ exurit & siccat: quũ autẽ cor, pulmoq. humiditatẽ caloris collecti mortiferis in locis sentiunt, totũ caloris spiritũ efflant, vnde totum in toto cõsistit: præterea quidẽ partim per carnẽ partim per spiracula capitis spirãt, quod viuere dicimus: corporisq. capsulam & alueũ anima frigidum, mortuumq. vnà simulacrum relinquit, sanguinique, bili, & pituitæ, & carni concedit.

HIP-

HIPPOCRATIS COI IVS IVRANDVM.





IVRAMENTO affirmo, teſte Apolline Medicorum præſide, & Æſculapio, Hygea ac Panacea, deabus, dijsq. omnibus, me, quantum viribus & iudicio aſſequi poſſum, inuiolatum hoc iuſiurandum, hancq. ſtipulationem præſtaturum.

Sanctè itaque promitto, me loco parentum habiturum hunc, qui me hanc artem docuit, nutriciũq. me ei præſtiturum, & quibus eget benignè impertiturum. Progeniem eius germanorum loco reputaturum. Et hanc artem ſi diſcere eius poſteri voluerint, ſine mercede & abſque ſtipulatione me illos docturum.

Præceptorum & narrationum, & re-

& reliquæ vniuersæ artis benignè & fideliter participes facturum meos], & præceptoris mei liberos, imò & reliquos qui scripto stipulati fuere, ac ex lege medica iusiurandum interposuere: alium præter hos nullum. Cæterùm in tractandis ægris, diæta, quantum viribus & ingenio assequar, ex ægrorum commodo vtar: à veneno autem imbutâ, & sanitati iniuriâ illos arcebo. Nec vnquam, aut prece, aut præmio victus, pharmacum calamitosum propinabo cuiquam, nec nefarij huius cõsilij auctor ero vnquam.

Ita nusquam ingrauidatæ mulieri pessum abortiferum porrigam. Vitam artemq. meam castè & sanctè ducam. Nec vnquam ex calculo laborantes ipse secabo: sed his qui se totos huic operi dicarunt, hoc officium permittam. Quascumque ingrediar ædes, in his ægrorum commodis studebo, stu-

ſtudioſèq. vlla iniuria à me ne prudenter eueniat cauebo, & ab omni corruptela, cùm alia, tum maximè venerea me continebo; ſiue corporibus fœmineis,maſculis, liberis aut ſeruilibus medicinam fecero.

Quæ autem inter curandum viſu aut auditu notauero, vel extra edendi arenam in communi hominum vita percepero, quæ non decet enunciare, ſilentio inuoluam, & tanquam arcana illa æſtimabo. Itaque inuiolata integritate,ſanctè ſi hoc iuſiurandum præſtitero, nec fallo, eueniat mihi fœliciter vita & hæc ars, atque perpetuò gloria mea toto ſplendeat orbe. Sin periurus fefellero fidem, his votis aduerſa eueniant omnia.

FINIS.

Errata sic corrige.

pag. 5	lin.pen	aphoriſtice	l.	aphoriſtici
6	17	medicare		medicari
10	19	vna ſit		quod vna ſit
38	6	nimirium		nimirum
39	20	Cotidianæ		Quotidianæ
42	23	ædunt		edunt
63	11	cotidie		quotidie
Ibid.	15	de morbibus		de morbis
70	6	coluulſio		conuulſio